DISPUTATIO

DE

ORATIONE PRIMA IN CATILINAM A CICERONE ABIUDICANDA.

DISPUTATIO

DE

ORATIONE PRIMA IN CATILINAM A CICERONE ABIUDICANDA.

DISPUTATIO

DE

ORATIONE PRIMA IN CATILINAM A CICERONE ABIUDICANDA,

SCRIPSIT

S. H. RINKES.

ACCEDUNT DUAE CATILINARIAE INEDITAE.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD E. I. BRILL.
MDCCCLVI.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

Patri Optimo Carissimo.

PRAEFATIO.

Si auctoritates virorum doctorum in mea causa valent, a spectatissimis philologis laudata est oratio prima in Catilinam: si opiniones eorum, qui non id agunt, ut tota mente omnique animi impetu in haec studia incumbant, nihil fere hac oratione est exquisitius vel magis absolutum. — Quid igitur? Egone iuvenili fervore vel arrogantia, in hac re tam praeceps ac devius, ut plus me ceteris videre putem? eane de causa dissentio ab tot tantisque viris ut, quod mirum multis accidat, in lucem proferam, et Harduini coner renovare exemplum? Nihil minus. Saepius operi intentus, quum Madvigium, aliosque dissentientes a me videbam, manum de tabula tollere volui; saepius mihi haec Wolfii verba obversabantur: »imprimis odiosa solet esse eorum conditio, qui ea scripta, quae ab eruditis semper probata erant, atque adeo saeculorum praescriptione in prima classe locum occuparant, creditis auctoribus indigna et loco summovenda iudicant," et non semel telam retexere, quod Penelope fecisse dicitur, in animum induxi, et novam scribendi quaerere materiem. Quum vero, quo diligentius orationem primam perscrutarer cumque

aliis Tulliani ingenii monumentis compararem, eo plus dubitandi succresceret copia, tandem, quum persuasum mihi esset Ciceronem hanc orationem scribere non potuisse, nolui id quod sentiebam premere, quum apud me constet, in his studiis, quae liberum hominem deceant, nihil esse turpius quam id, quod verum esse putes non proferre, quoniam a te melioribus dissentias.

Multa sunt, certo scio, quae non ita tractata sunt, quin augeri et melius dici possint; multa etiam consulto omisi; multa sunt quae uberiorem doctrinam requirunt, multa in quibus alio quodam modo erratum est. Qui vero meliora docere et plura producere velit, vel illud: „magnis excidit ausis" de me valere probaverit, is sciat nihil mihi religiosius fore, quam ubi argumentis et vi veritatis convictus fuero, libenter et ultro manus dare.

Si quid contra huic meae opellae bonae frugis inerit, si qua inventionis laus, ad Te illud referendum est Celeberrime Bake, *quem Promotorem mihi contigisse gaudeo vehementerque laetor. Amplius enim triennium est ex quo significasti primam orationem in Catilinam Cicerone indignam Tibi videri; postea lectionibus Academicis cur ita censeres nobis explicuisti, mihique quum Te de dissertationis argumento consulebam, non solum veniam dedisti ut id, quod Tu invenisses, ac si mea inventio esset ederem in publicum, verum etiam ut egregiis illis subsidiis, quae Tu nobis suppeditaveras, pro libitu uterer. — Sed non hoc solum est, quod de Te gratus animus palam profiteri me iubeat; ex quo enim ad Te veni, et diu iam est, quod hoc mihi datum est, tantis beneficiis me obstrinxisti, eum semper Te erga me praestitisti ut quibus verbis gratias Tibi agam, non habeam. Utinam, ut quae Tibi optavimus grati discupuli, quum per octo lustra publico docendi munere func-*

tus esses, feliciter prospereque Tibi eveniant, ut quod diceris et es Academiae decus, diu maneas. Nihil laetius mihi accidere poterit quam per annorum seriem Te videre, senectutis incommoda, ut Cato apud Ciceronem Tuum, non expertum, vitae communi civium saluti peractae dulces fructus colligentem.

Nec minora Tibi debeo Clarissime Cobet, *cuius discipulum esse summopere glorior. Tu per octo annos, quos degere in Academia Lugduno-Batava mihi contigit, semper consiliis Tuis mihi adfuisti; Tu egregiis lectionibus et praeceptis, multo magis luculento exemplo Tuo, regiam mihi monstrasti viam, quam sequantur ii, qui in his studiis proficere velint. Saepissime Tu aberrantem in viam me reduxisti, tardiorem excitasti, dubitantem confirmasti. Utinam quo semper in me animo fuisti, manere velis, mihique concedere et in posterum discipulum Tuum esse adque Tuam doctrinam Tuamque prudentiam confugere.*

Te silentio hic praeterire non possum Clarissime Kaiser, *qui adolescentem in amicitiam et familiaritatem recipere non denegasti, qui amplius triennium thesauros illarum disciplinarum in quibus regnas, mihi aperire voluisti. — Pro illa Tua benevolentia proque egregia institutione gratias Tibi refero semperque referam quam maximas.*

Iuvat gratum animum erga Te palam profiteri Clarissime Scholten, *quod per Te mihi licuerit interesse Tuis lectionibus, a quibus, „nunquam nisi melior discessi."*

Nefas esset vobis non nominatim gratias agere viri Clarissimi, qui tum in Facultate Litterarum, tum in Iurisconsultorum Ordine omnes vestris lectionibus, vestra benevolentia, mihi opitulari voluistis; nec minus Tu me devinctum habes Clarissime Geel, *qui Tuis consiliis*

mihi semper adfuisti, absconditosque Bibliothecae Academicae thesauros, qua es humanitate, mihi patere voluisti; Te venerari nunquam desinam.

Nondum officio functus sum. Quod hos viros Clarissimos habuerim studiorum duces et moderatores prae aliis Tibi debeo amicissime Boot, *qui antequam ad Cathedram Amstelodamensem vocareris, me imbuisti eo amore litterarum, quo totus ardeo; Te auctore factum est, ut in his studiis vitae tabernaculum ponere decreverim; Tibi si quid unquam in litteris nostris praestitero, gratum illud referam.*

Tandem vos appello coniunctissimi et amicissimi studiorum Commilitones, licet neminem fere videam eorum, quibuscum in hanc almam Musarum sedem pedem intulerim. Saepe soleo summa cum voluptate redire in memoriam eorum dierum iucundissimorum, quos vobiscum peragere mihi licuit, praesertim illud tempus grata memoria recolo, quod Studiis et Amicitiae *dabamus, quo nullum unquam iucundius cognovi. Pro amicitia nostra hoc vos rogo ut mei sitis memores. Vos, quod ex animo meo non excideritis, ipsi auctores fuistis.*

INTRODUCTIO.

Si quod est, ait Gesnerus [1]), in litteris antiquis difficile munus, in eo sane genere illud esse fatendum est, quo de librorum in controversiam vocatorum conditione ac statu cognoscitur.

Mirabitur igitur, ad quem hic libellus est venturus, me admodum adolescentem specimen studiorum editurum, in animum induxisse ut eam orationem Ciceronis in Catilinam, quae apud omnes fere in admiratione est, summo oratore indignam esse, demonstrarem. Non deerunt, qui iuvenilem levitatem, quod aliis magnificum videtur contemnentem, vituperaturi sint, quibus si „erranti comiter monstrant viam" persuasum sit lubentissime me gratias acturum palinodiamque canturum esse.

Arrogantiae crimen non fugiam apud eos, qui hoc certe concoquere non poterunt me illa contemnere et ea mihi subinepta videri, quae a summis in litteris viris omni laudum genere in coelum tolluntur, quippe quibus Tullius aere perennius sibi monumentum exegerit. Quibus haec habeo quae respondeam: non eum me esse qui plus me videre postulem quam summis in hoc studiorum genere viris contigerit. Etenim si verum est, quod Gesnerus l. l. dicit, tanto faciliorem esse hanc abiiciendi et de vetere sede deiiciendi rationem, quam argumenta ab ea parte prolata depellere atque elevare, quanto facilius sit infligere vulnus quam sanare, gloriam habere non potest dubitandi illud et evertendi studium, quae integra manet iis, qui superiorem lapsum esse atque

1) In. praef. ad IV. Oratt. p. Red. p. LXXXI. ed. Wolf.

in tenebris micasse ostenderint. Sin contra, ut Cludius dicit [2]), de his studiis non male mereri videntur qui genuina a suppositiciis disiungere et distinguere student, non aegre patiar ut hoc inventum non meum esse dicatur, immo ut integra huius inventionis laus ad alium devolvatur ipse ultro postulo.

Ex quo Wolfius [3]) significaverat unam e Catilinariis sibi spuriam videri, nec addiderat quam vellet, statim νοθείας perspicua et certa indicia in tribus posterioribus Catilinariis invenisse sibi videbantur viri docti. Ex quorum numero satis magno duo praesertim sunt, quos signiferos quodam iure diceres: E. A. I. Ahrens qui quartam orationem in Catilinam a Cicerone abiudicandam esse contendit [4]); Io. Casp. Orelli, qui tres posteriores Catilinarias damnavit [5]).

Antea vero iam libellum ediderat H. G. I. Cludius „de Authentia secundae orationis Catilinariae", quem Seebode recepit in diarium cui nomen: Neues Archiv für Philologie und Paedagogik [6]). Is enim audiverat Wolfium dicentem anno huius saeculi quinto in acroasibus de litteratura Romana „unam e quatuor Catilinariis orationibus suppositiciam videri eamque esse alteram e mediis duabus." Quum is aliquanto post in eas orationes forte incidisset, in priore illa non pauca ita illius animum offenderunt, ut molesto dicendi genere perculsus confidenter pronuntiaret illam esse, quam Wolfius e Ciceronianis eximi vellet [7]).

---

2) De authentia Sec. Orat. Catil. in Seebodii Archiv. II. 4. p. 48.

3) Vide historiam criticam voluminum Tullianorum ad suam aetatem, apud Wolfium in praef. IV. Oratt. p. VI sqq.

4) Eius liber hanc inscriptionem habet: M. Tullii Ciceronis, quae fertur oratio IV in Catilinam; recognovit, commentariis instruxit, a Cicerone abiudicavit E. A. I. Ahrens. Coburgi 1832.

Orelli dicit Ahrensium ipsum tres quoque orationes posteriores reiecisse p. 177. ed. XV. Oratt.

5) M. Tullii, Orationes selectae XV. Turici 1836.

6) II. p. 4. a. 1827. p. 47—85.

7) De opusculo Cludii haec est sententia E. Hagen in prog. Regimontano 1851: *de Ciceronis Catilinariis*, p. 28. „vir doctus, quod ipse in praefatione professus est, sensu quodam obscuro magis, quam certis argumentis se duci passus est et pleraque adeo subtiliter tractavit, ut vix putem, quemquam ex omnis aevi scriptoribus tam suspiciosae perquisitioni satisfacturum."

Quam egregie lapsus sit Cludius ostenderunt tum alii, tum Eischstädt [8]), qui a. 1837 litteris ipsius Wolfii ostendit summum criticum tertiam damnasse orationem [9]).

Fieri aliter non potuit quin, quum multi his viris assentirentur, plures essent qui Tullio vindicarent illas orationes, quae summis laudibus dignae videbantur. Qui quum vitia adversariorum indicarint tamen rem confecisse dici non possunt. Primum inter eos locum obtinet Madvig [10]), qui ut solet non sine acerbitate et adversarios parvi faciens [11]) perstrinxit Ahrensium inque Orellii sententiam vehementer invectus est. Dixerat enim Orelli illas orationes a Tirone Ciceronis liberto suppositas esse, ad quam sententiam firmandam aliam excogitavit fraudem Tironis edentis

---

8) In Progr. Acad. Ienensis a. MDCCCXXXVII.

9) Quum tota Cludii disputatio eo spectet ut secundam orationem a Cicerone abiudicet, quid facias Eischstädtio qui sic scribit p. 6. op. l. „Ipse autem Cludius secundam putavit Catilinariam a magistro suo significatam fuisse *in eiusque authentia defendenda multum laboravit*, laudans vol. IV. p. 47—85: quum disputatio legatur vol. II. parte 4a., ex quibus apparet eum Cludii opusculum numquam vidisse.

10) In praef. ed. II. Oratt. Select. XII. Hauniae 1841, repetita in Opp. Acad. alteris. 1842. p. 297—352.

11) Iam qui unquam Catilinarias a Cicerone abiudicaturi sunt, damnavit Madvig. (Opp. Acad. II. p. 351 adn.) „Legi postea alia de orationibus Catilinariis disputata non minus inconsiderata: sed totum hoc criticae genus satis notatum qualeque sit demonstratum puto." De ea re nempe egit Madvig. Op. Acad. I. p. 192. sq. adn. scribens de Ahrensio: „Hanc orationem (quartam in Catilinam) fuit nuper qui a Cicerone abiudicandam disputaret iis argumentis, quae non tam singulatim refellenda videantur, quam universum genus disputationis quam multa habeat futilia, monendum" cett.; *ab illis hominibus solis e lexicis iudicari quid in aliquo loco sit singulare;* — quod unde petatur, nihil refert, dum id quod demonstrandum esset, recte probetur: *ex hac aetate paucos praeter Ciceronis libros superesse ex aliis scribendi generibus, inque omnibus aeque multa singularia esse, in multis longe plura;* — quod a Wolfii negatum est, qui leve praemium pro opera sua (in fine praef. ad Marcell. p. XXXIX sq.) hoc postulabat, ut is cui perlectus commentarius videretur ipsum Ciceronem calumniari, quam primum eadem ratione orationem aliam quamcunque calumniaretur; neque Cicero in orationibus diiudicari potest, nec debet ex alius generis scriptis, sed ex ipsius operibus; — postremo *Romanis multa oratoria visa esse quae nobis declamatoria videantur;* — quamvis de Cicerone noverimus eum accurate loqui, aliosque si id neglexissent carpere solitum esse (vide v. c. Quinct. VIII. 3. § 54). Melius, ut mihi quidem videtur, is agit, qui vel uberiore doctrina praeditus, vel melioribus codicibus excussis, (quod in neminem magis cadere arbitror, quam in ipsum Madvigium, de Cicerone optime meritum) singularia Ahrensii vitia indicet, quam qui illis generalibus sententiis, quibus eodem iure aeque generales opponi possunt, utitur ut auctoritate sua aliorum sententiam evertat.

epistolas ad Atticum, ut loco admodum apto, post commemoratum Attici consulatus Tulliani commentarium, ea insereret quae leguntur in Ep. ad Att. II. 1 § 3. Multi interea hanc quaestionem dirimere conati sunt: ex quibus, nemo ut mihi videtur, hoc effecit, ut Orellium recantationem canere coegerit, quam ille pollicitus esset si certis argumentis refutatus esset, facturus cum iis, qui rectiora se docuissent [12]).

Editam esse a Cicerone orationem illam quam in Senatu habuit, negari nequit ob Sallustii testimonium [13]): „tum M. Tullius consul, sive praesentiam eius timens, sive ira commotus orationem habuit luculentam atque utilem reip., *quam postea scriptam edidit.*" Sed iam hoc ipsum testimonium sufficeret quo demonstraretur ineptam et ridiculam declamationem, quae nunc fertur non esse a Tullio profectam. Quidni? Sallustius hanc orationem quam dicentem non audiverat Tullium, (natus enim Sallustius est a. u. c. 668: oratio habita 691. Sallustius trib. pl. 702) postea, quum legisset, Ciceronis si minus laudum obtrectator at certe non amicissimus, hanc declamatiunculam dixit luculentam orationem? At laudatur tamen illud: „Quousque tandem Catilina abutere patientia nostra?" ab omnibus fere scriptoribus. Asconius quoque laudat verba ex Ciceronis oratione in Catilinam in senatu habita [14]), immo ipsius Ciceronis filii hoc dictum fertur apud Senecam patrem [15]), quum Hybreae disertissimi viri filius apud eum male causam ageret: Age, inquit, non putas me scripta didicisse patris mei: „Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?" Si igitur haec oratio genuina non est, necesse est regnante Augusto vel Tiberio a sciolo vel falsario sit confecta: quod quum multis video absurdum videri, dicendum primo est, quam parum accurate qui post Ciceronem vixerunt nomina auctorum indicarint, et quam infelici critica in ea re saepius usi sint.

---

12) In ed. laud. p. 177.
13) Sall. Bell. Cat. 31. Cf. Morstadt in prog. IIo. Schaffh. p. 13 seqq.
14) Asc. Ped. in Pison. p. 6. ed. Orelli.
15) M. Ann. Seneca p. 57. ed. Gronov.

Qui vel leviter Asconium, Quinctilianum aliosque inspexerit, errores eius generis, quod modo indicavi compluscolos deprehendere potuit. Difficilius enim veterum scripta [16]) in aliorum manus et bibliothecas pervenerunt, et, ubi paucissima exemplaria satis magno pretio erant descripta, non absurdum est putare alios id facinus esse ausos committere ut pro genuinis sua supponerent. Quum Ciceroni T. Ligarii verbis Brutus nuntiarat ἁμάρτημα μνημονικόν quod ei excidisset in oratione Ligariana [17]), nil melius habuit orator quo lapsum corrigeret quam Atticum rogare, servis negotium daret ut vitium ex *omnibus* libris tollerent. Solebat enim Cicero scripta sua ad Atticum mittere [18]), qui si sibi probata essent [19]) ea describenda curaret [20]); si vitia invenirentur, postea Attico mandabat ut ea tolleret per librarios suos [21]).

Locus classicus de ea re est ad Atticum [22]): „nunc ad rem ut redeam: *inhibere* illud tuum quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum." Exponit Cicero in eo loco Atticum iniuria locum reprehendisse, vocabuloque mutando sententiam pessumdedisse „quare facies ut ita sit in libro quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni si forte mutavit." Atticus enim, qui admodum dives erat, quocunque modo rem suam augere studuit ideoque librarios habuit pluri-

---

16) Usus sum hoc vocabulo exemplo Wolfii, ut indicarem scriptores eos, qui fuerunt ante Augusti principatum. Vide eius proleg. ad orat. quae vulgo fertur Ciceronis pro Marcello p. XXII. n. *l.*

17) Cic. ad Att. XIII. 44. f.

18) Cic. ad Att. I. 13. § 5, 19. § 10, II. 1. § 11, 4. § 3, 6. § 2, 7. § 1, IV. 2. § 2, 13. § 2, VI. 1. § 8, XIII. 32. § 3. „eas *litteras* volo habeas" ubi διφθέρας legendum esse dixi in Mnemosyne V. p. 26. cf. Cic. ad Att. XIII. 24.

19) Cic. ad Att. I. 13. § 5, 14. § 3, II. 1. § 1, 2. Saepius errores Ciceronis ab Attico sunt indicati, Cic. ad Att. XII. 5. § 3, 6. § 3. VI. 1. § 8.

20) Cic. ad Att. IV. 2. § 2. „Itaque oratio (apud Pontifices de domo) inventuti deberi non potest; quam tibi etiam si non desideras, tamen mittam cito:" et ibid. II. 1. „Tu si tibi placuerit liber, curabis ut Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae."

21) Cic. ad Att. XII. 6. § 3. „erit gratum si non modo in libris tuis sed etiam in aliorum *per librarios tuos* Aristophanem reposueris pro Eupoli." Plura de his rebus inveniuntur apud Iac. Tunstallum in Epist. ad Middlet. p. 15.

22) Cic. ad Att. XIII. 21. § 3.

Plures locos vide apud Hullemanum, diatribe in Atticum p. 181. adn. 3. Trai. ad Rhen. 1838.

mos; utebatur familia, si utilitate iudicandum erat, optima, si forma, vix mediocri [23]); immo et aluit gladiatores quibus quaestum sibi compararet, quippe quos ludis mercede locaret [24]). Eamdem rationem servabat in servis librariis quibus utebatur in commercio librorum tum Ciceronis tum aliorum [25]), quos ad Ciceronem etiam mittebat, qui illius bibliothecam disponerent et sillybis illustrarent [26]).

Quae quum ita sint non est mirandum eo tempore multos libros supponi potuisse et suppositos esse, quum etiam alia accederet causa, quam, nescio qui factum sit, neglexisse videntur qui de libris spuriis scripserunt. Nam quum libri magno pretio venirent, lucri cupidi falsarii suis opellis nobilissimi cuiusque nomen inscribebant, quas multa pecunia pro genuinis homines litterati et plerumque non litterati emebant. Quod factum esse Galenus dicit [27]) ex quo bibliothecae conditae essent Pergami et Alexandriae: tunc enim veteribus libris comparandis reges se mutuo vincere contendisse, praemiumque eos coepisse capere qui veteris cuiusdam scriptoris monumenta illis offerrent [28]). Haec ille quidem de Graecis; sed eadem de Romanis valere nemo negabit, praesertim de tempore Augusti Tiberiique quum primae bibliothecae exstructae sunt [29]).

---

23) Nep. Att. 13.

24) Cic. ad Att. IV. 4 b. 8 a.

25) Cic. ad Att. XIII. 21. § 4 sqq.

Vide Iac. Tunstallum, l. l. qui haec adscribit: „hinc cum Cicero Academicam quaestionem ex duobus libris contulisset in quatuor: Tu, inquit, illam iacturam feres aequo animo, quod illa quae habes de Academicis [prioribus] frustra descripta sint," XIII. 13. § 1. Illam vero iacturam minime aequo animo tulisse videtur Atticus; atque hinc factum esse arbitratur Tunstallus, ut illi libri ab Attico postea in publicum emanarint. Cf. Cic. ad Att. XIII. 12. § 2. „Ligarianam praeclare vendidisti, tibi praeconium deferam." Quid haec significent apparet ex ep. 19. § 2, huius libri: „Ligarianam, ut video praeclare auctoritas tua commendavit." Nam de ipsa venditione haec non accipienda mihi videntur, ut putat Hulleman, diatribe in Atticum, p. 182.

26) Cic. ad Att. IV. 4 b. et 5, cf. ibid. II. 1. § 12.

27) Galenus in Comm. ad Hippocr. de nat. homin. XV. p. 105. ed. Kuhn. Cf. ibid. p. 109. XVI. p. 5.

28) Iam antea falsas inscriptiones libris impositas esse de Pisistratidarum tempore confirmat F. Ritschl, cui locos laud. Galeni debeo, quamvis alia de causa fieret. Vide Die Alex. Biblioth. p. 20. n.

29) Locos de ea re collegit Thorbecke, de Asinio Pollione, p. 35 sqq. qui locum

Bibliothecis publicis nondum exstructis facilius erat multorum nomine libros supponere, praesertim eorum, qui non diu ante vixissent, quippe quorum scripta avidius legerentur [30]); atque sic privatis imponebatur. Quum vero in bibliotheca publica libri essent expositi, hoc fraudis genus cessabat: sed aliud idque magis etiam cavendum illius locum occupabat: nam bibliothecarii venari solebant multorum librorum copiam, et undique magno pretio libros conquirebant; quo fiebat ut quo antiquior et rarior esset libellus eo pluris veniret [31]). Quae fraus igitur antea in scriptis aliquanto ante defunctorum, immo aequalium, committebatur, post bibliothecas publicas exstructas in antiquiorum monumentis locum habebat. Qui hanc vitae sustentandae rationem praetervidenunt, quasi triumphantes saepius rogaverunt, quis tandem tam stultus esset ut suo operi alienum nomen inscriberet, quum huius scripti gloria, si qua erat, integra ad fictitium auctorem perveniret. Qui sibi, et fortasse aliis, visi sunt hac una re tam simplici adversarios prostravisse. At illis recte opponitur Galeni [32]) auctoritas, qui scribit in eo vico Romae, cui Sandaliario [33]) nomen est, in quo plurimae bibliothecae erant, controversiam esse ortam de libro quodam Galeni nomine inscripto, quem quum emisset aliquis pro Galeni opere, alius *καὶ δύο τοὺς πρώτους στίχους ἀναγνοὺς εὐθέως ἀπέρριψε τὸ γράμμα, τοῦτο μόνον ἐπιφθεγξάμενος ὡς οὐκ ἔστιν λέξις αὕτη Γαληνοῦ καὶ ψευδῶς ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον* [34]).

Plinii H. N. VII. 31. uno vitio liberavit, alterum per eam emendationem certum vitium residere passus est. Legebatur enim: „M. Varronis in bibliotheca, quae prima in *orbe* (Thorbecke recte *urbe*) ab Asinio Pollione ex manubiis publicata *Romae* est" cett. Nomen urbis irrepsisse postquam depravatus erat locus, in aprico est.

30) Exempla huius rei passim leguntur in Ciceronis Bruto.

31) Si talia nostra aetate a Simonide facta esse videmus, dubitabimusne de antiquitate?

32) Galen. *περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων* t. IV. p. 361. init. ed. Basil. Locum hunc debeo Schoettgenio „de librariis et bibliopolis antiquorum" § 11. Lips. 1710. Cf. de eodem argumento Stolberg § 2 *περὶ στιχομετρίας*, et Io. à Wower de Polymathia p. 170.

33) Cf. Gell. N. A. XVIII. 4.

34) Plura superiorum temporum exempla affert Galenus in comm. ad Hipp. de humor. XVI. p. 5. ed. Kuhn.

Quodsi hoc in Galeni scriptis vivo Galeno accidere potuit, quanto facilius et saepius id factum esse statuemus in Cicerone postquam e vita excessisset, praesertim cum multo plures essent, qui Ciceronem quam qui Galenum imitari studerent et revera imitarentur. Neque in ea re ipsius Tullii testimonium nobis deesse videtur. Quum enim oratio quaedam Ciceronis in vulgus emanavisset, quam iratior, ut videtur, scripsit in hominem tunc temporis (a. u. c. 696) potentem, nempe Metellum Nepotem cos. des., Attico, qui eum de ea re certiorem fecerat, mandavit ut ei vulneri si quid posset mederetur, haec addens: „sed quia numquam accidit ut cum eo uno verbo concertarem, et quia scripta mihi videtur negligentius quam ceterae, puto probari posse non esse meam" [35]). Haec Cicero non scripsisset, nisi eo tempore saepius orationes suppositae ferrentur. Facile erat multis etiam bibliopolis imponere, quos omnes non supra vulgus hominum sapuisse testis est Lucianus [36]), qui libellum acerbissimum scripsit adversus divitem quemdam ingenio et doctrina destitutum, qui egregiam sibi bibliothecam coemerat inter alia *καὶ τὸν Ὅμηρον ἐπρίατο πολλάκις*, cui tum alia tum haec obiecit: si librorum possessio dominum eruditum redderet, quantivis pretii illa possessio esset et eorum solum, qui sunt divites, si nempe velut de foro liceret emere et nos pauperes superare. Quis vero contenderet, ait, cum mercatoribus ac bibliopolis de eruditione tot libros habentibus et vendentibus. At, si volueris periculum facere, videbis neque eos multum quam tu esse eruditione praestantiores sed sermone barbaros, sicut te, et *ἀξυνέτους τῇ γνώσει*, quales esse oportet qui nihil turpium vel honestorum perspiciunt. Si igitur facile talibus bibliopolis imponebatur, illi facilius etiam decipere poterant emptorem qualem hic depingit Lucianus, qui multorum librorum coemtorum ne titulos quidem memoria tenebat. Saepe inde fiebat ut libros parum emendatos et vitiis inquinatos emerent, in emtione temere laudantibus credentes, qui quovis modo iis imponebant [37]); sic etiam Gellius scriptum reliquit de gram-

---

35) Cic. ad Att. III. 12. § 2.

36) Luc. *πρὸς ἀπαιδ. καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον* § 4.

37) Luc. libr. 1. § 1.

matico quodam de nobilioribus ab emptore ad spectandos libros adhibito [38]).

Iam ante Ciceronem multi circumferebantur libri alieno nomine inscripti, cuius rei non potest requiri luculentius testimonium quam Gellii de fabulis quae Plauti esse dicebantur et credebantur. In capite [39]) enim quod inscribitur: „de noscendis explorandisque Plauti comoediis quoniam promiscue verae atque falsae nomine eius inscriptae feruntur" cett., scripsit L. Aelium hominem eruditissimum existimasse XXV solas esse Plauti quum sub eius nomine circiter centum atque triginta ferrentur; Varronem vero unam et viginti fabulas, quae Varronianae vocarentur, a ceteris segregavisse, quoniam dubiosae non essent fidei, sed consensu omnium Plauti censerentur. Neque hoc Plauto soli contigit ut scripta supposita eius nomine ferrentur [40]). Suetonius enim mentionem facit elegorum et epistolae prosa oratione, quae sub titulo Horatii sibi in manus venissent, sed utraque falsa putabat; nam „elegi vulgares, epistola etiam obscura, quo vitio minime tenebatur" [41]). Iam vero si ex Plauti fabulis tot spuriae reiiciendae essent, quis credet Catonis orationes amplius centum quinquaginta exstitisse tempore Ciceronis, quum etiam plures ferrentur; dicit enim, refertae sunt orationes amplius CL, quas quidem adhuc invenerim et legerim" [42]), cett., quum nemo ex oratoribus Romanis Ciceronis aetate eum legeret aut novisset: neque ideo verisimile est tot fuisse Catonis orationes, quod Tullius eum senem dicentem faciat, „causarum illustrium quascunque defendi

---

38) Gell. N. A. V. 4.

39) Gell. N. A. III. 3.

40) Iniuria tamen a Gräfenhanio (Geschichte der klass. Philol. II. p. 365) poni videtur ex Cic. Ep. ad Fam. IX. 16. § 4. conficiendum esse Plauti fabulis multos versus inesse qui interpolatoribus deberentur; scribit enim: „et ut Servius frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facile diceret, hic versus Plauti est, hic non est, quod tritas aures haberet notandis generibus poetarum et consuetudine legendi": nempe hic locus nil aliud significare videtur quam Servium Paetum ita trivisse Plautum aliosque scriptores, ut si versus ei quilibet afferretur statim sentiret Plautine an alius cuiusdam poetae esset.

41) Suet. vita Horatii.

42) Cic. Brut. 17. § 65.

nunc cum maxime conficio orationes" [43]). In nullo enim genere scriptorum falsarii magis versabantur, quam in orationibus subiiciendis. Scatet igitur historia litteraturae Romanorum huiuscemodi exemplis, ex quibus unum alterumque adscribere operae pretium videtur. Quum enim multa in P. Scipionis Africani Superioris exitu maxime vitae in diversa traherentur, nec conveniret de accusatore neque de tempore quo dicta dies esset, de sepulcro aliisque inter scriptores rerum etiam discordia erat: orationes quoque ait Livius [44]), *si modo ipsorum sunt quae feruntur* P. Scipionis et Ti. Gracchi, abhorrent inter se. Index orationis P. Scipionis nomen M. Naevii trib. pl. habet, oratio est sine nomine accusatoris. Quae res Gellii [45]) aetate nondum erat confecta, quum etiam tum ferretur oratio quae videretur habita eo die a Scipione, quam Gellius tamen Scipioni non vindicat, praeter unum dictum quod Scipioni omnes tribuebant. Oratio C. Fannii, quae ferebatur de sociis et nomine Latino, quam consul habuit contra C. Gracchum (a. u. c. 632), credebatur a C. Persio scripta fuisse, vel etiam multi nobiles dicebantur quod quisque potuisset in illam orationem contulisse [46]). Ita certe Cicero audivit ex maioribus natu, quos eam rem melius tenuisse quam Ciceronem admodum verisimile est, quum etiam argumenta, quae a Tullio afferuntur contra illam sententiam, valde exilia sint [47]). Quibus addenda sunt quae dicit

---

[43]) Cic. Cato M. 11. § 38.

[44]) Liv. XXXVIII. 56.

[45]) Gell. N. A. IV. 18.

[46]) Cic. Brut. 26. § 99.

[47]) Servata sunt ex ea oratione tria fragmenta. Cf. Meyer. fragm. Oratt. Roman. p. 199, sqq. ed. 2ae, primum apud Cic. de Orat. III. 47. § 183. *Sī Quĭrītēs mĭnās īllĭūs*, ex quo apparet Romanos in genitivo *illius* non solere violare eam regulam, qua vocalis ante vocalem corripi docemur, ut grammatici postea perhibuerunt; alterum apud Iul. Victorem p. 224. Orell. „Si Latinis civitatem dederitis, credo existimatis vos ita ut nunc constitisse: in contione habituros locum aut ludis et festis diebus interfuturos. Nonne illos omnia occupaturos putatis?" in quibus *constitisse* corruptum videtur Orellio coniicienti: „*constitutum est.*" Spengel in Actis Soc. Graecae t. 1. p. 37. *ut nunc consuestis*, Duebner *ut nunc constituitis*, vel *constituistis*. Quas coniecturas refellere opus non est, quum in promtu singularum vitium est; nam, quae constituebantur, non Romanis, ut iis viris doctis videtur, sed Latinis illa lege dabantur: vocabula *ut nunc*, quum rhetor agat hac § „*ab eventu in coniectura*" sunt

M. Annaeus Seneca pater [48]), questus de corrupta eloquentia quae „retro se tulerat"; qui quum eo tempore vixerit ut Ciceronem audire potuisset nisi hunc ei bellorum civilium furor eripuisset, scribit, „fere aut nulli commentarii maximorum declamatorum exstant, aut, quod peius est, falsi." Immo eo impudentiae pervenerunt ut, quum constaret P. Sulpicium Rufum dicere solitum esse se scribere neque consuesse neque posse, quod ex eo Cicero audivit, cumque nulla ipsius esset oratio, tamen eius nomine orationes ferrentur [49]). Neque hic praetermittendum est quod inter orationes quasdam a Caesare relictas temere quaedam ferrentur, ut pro Q. Metello, quam non immerito Augustus existimavit magis ab actuariis exceptam male subsequentibus verba dicentis [50]), quam ab ipso editam. Maior etiam fraus facta est in oratione quam apud milites in Hispania habuisse fertur Caesar, quam orationem vix ipsius esse putabat Augustus, quae tamen duplex ferebatur, una quasi priore habita proelio, altera posteriore, quo Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, subita hostium incursione [51]).

Quum vero bibliopolae non solum Romae, sed etiam in Italia et in provinciis negotiarentur [52]), fraudes quas Romae usurpari solitas fuisse demonstravimus, ibi multo plures fuisse non est quod dubitemus; unde fortasse explicanda est inscitia rerum urbana-

---

scioli, qui confirmet factum esse quod praedicaverat C. Fannius, nempe: „si Latinis civitatem dederitis, credo existimatis vos ita *constituisse:* in concione habituros locum" cett. Ex tertio fragmento, quod apud Charisium est, apparet Fannium in genitivo usurpasse *Senatuis Consulta.*

48) In praef. Controv.

49) Cic. Brut. 56. § 205.

50) Ex hoc loco recte explicantur haec verba Asconii de oratione Ciceronis pro Milone dicta, non edita: „manet autem illa quoque excepta eius oratio" p. 42. Orell. Nam Romanos multos celeritate scribendi facillime quae dicerentur persequi potuisse apparet ex Cic. Orat. p. Sulla. 14. § 42. Plura de illa re collegit v. Assen Vir Clar. in diario *de Gids*, a[i]. 1843.

51) Suet. Caes. 55.

52) Plin. Ep. IX. 11. „Bibliopolas Lugduni esse non putabam: ac tanto lubentius ex litteris tuis cognovi venditari libellos meos, quibus peregre manere gratiam, quam in urbe collegerint delector."

Gell. IX. 4. scribit, se emisse Brundusii fasces librorum venalium expositos pauco aere omnes Graecos, miraculorum fabularumque plenos.

rum in suppositis Ciceronis libris, cuius rei vestigia se repperisse notavit Wolf in Marcelliana [53]).

De libris plurimis suppositis egregium profert testimonium Quinctilianus his verbis [54]): „quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subdititios summovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint alios omnino exemerint numero." Ultima verba intelligenda sunt de scriptoribus, quos critici in canonem retulerant, ut Ruhnkenius demonstravit [55]) contra Wowerium [56]) aliosque qui haec verba ita intellexerant, quasi *in ordinem redigere* esset inter viles abiicere, numero eximere, ex inferiore loco in superiorem restituere. Huic interpretationi, ut Spaldingius [57]) adnotat, ansam dedit usus loquendi scriptorum argenteae aetatis, apud quos *redigere in ordinem* sensu contumelioso legitur. Sed poterant Wowerium aliosque in viam reducere Quinctiliani [58]) verba: „Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes, poetarum iudices, neminem sui temporis in numerum redegerunt."

Alia causa, qua factum est ut orationes alieno nomine ferrentur, haec est, quod multi, quia minus apte dicerent, aliis orationes scriberent, quae oratoris nomine legebantur et laudabantur. Quod v. c. de L. Aelio Stilone memoriae proditum est [59]), qui orationes multis scriptitavit, orator ipse numquam fuit, neque id solum hominibus elinguibus, verum etiam oratoribus. Cuius rei non potest luculentius esse testimonium quam Ciceronis dicentis [60]), Aelium scripsisse orationes, quas alii dicerent, se illis scriptis etiam ipsum interfuisse cum esset apud Aelium

53) Wolf, Praef. ad Marcellian. p. XXXIX.
54) Quinct. I. 4. § 3.
55) Ruhnk. Hist. Crit. Orat. Graec. p. XCVI. praefixa illius ed. Rutilii Lupi.
56) Io. Wowerius Polymath. c. XVI. p. 161.
57) ad l. l. Quinctiliani.
58) Quinct. X. 1. § 54.
59) Cic. Brut. 46. § 169.
60) Cic. Brut. 56. § 205 sqq.

adolescens, sed se mirari Cottam, summum ipsum oratorem minimeque ineptum, Aelianas leves oratiunculas voluisse existimari suas. Cognomen autem Stilonis acceperat L. Aelius, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat [61]). Ciceronem Pompeio, Domitio aliisque scripsisse orationes testatur Quinctilianus [62]). Ex alio Suetonii loco [63]) apparet idem factum esse quo tempore Cicero in foro regnabat: M. Caelius enim quum causam dicebat de vi, Atratino accusatori suo actionem dictasse L. Plotium Gallum significabat. Neque hunc morem postea in desuetudinem abiisse satis inde apparet, quod Quinctilianus de ea re praecepta dederit [64]). At, dicat aliquis, illae orationes tamen habitae sunt, licet ab aliis scriptae quam dictae. Scio equidem: sed hinc iam multas fraudes natas esse non est quod dubitemus. Sic, ut luculentum exemplum afferam, Theophanes scripsit orationem ferri (λόγον εὑρεθῆναι) Rutilii exsulis, qua exsul Mithridati persuaserit ut cives Romanos in Asia degentes interficeret [65]). Inspiciat mihi de eadem Ciceronis aetate testem locupletem, Asconium [66]) dico, qui mentionem iniicit orationum quae ferebantur nomine Antonii et Catilinae in Ciceronem. Nam quum Cicero in toga candida, comitiis consularibus instantibus, orationem habuisset in Senatu qua invectus est in coitionem [67]) Catilinae et Antonii, illi contumeliose responderunt invecti in novitatem eius. Orationes enim illorum nomine editae quidem sunt [68]), non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus. Si Quinctiliano [69]) fides habenda est,

---

61) Suet. de Ill. Gramm. 3. cf. de Stilone Meyerus fragm. Oratt. Rom. p. 336 sqq. ed. 2ae.

62) Quinct. III. 8. § 50. cf. de Pompeio Cic. ad Att. VII. 17. et Meyerus op. l. p. 433.

63) Suet. de Clar. Rhet. 2.

64) Quinct. XI. 1. § 31. III. 8. § 51; 1. § 10. II. 15. § 30.

65) Plut. Pomp. 37. Alia exempla orationum aliis conscriptarum vide apud Meyerum op. l. p. 174, 250, 390, 433.

66) Asc. Ped. p. 95. Orelli.

67) Ibid. p. 83.

68) Quinctilianus Antonii orationem laudat IX. 3 § 94. — Cf. Schol. Bob. p. 395.

69) Quinct. X. 1. § 23.

vel Hortensii oratio pro C. Verre edita erat; scribit enim: „quin etiam, si minus pares videbuntur, aliquae tamen ad cognoscendam litium quaestionem recte requirentur: ut contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Ligarium et Hortensii pro Verre." Quum vero haec verba pugnarent cum diserto ipsius Ciceronis testimonio [70]) negantis Hortensium sibi respondisse, Drumann, non passus ut Quinctilianus errare videretur, Hortensii orationem ad aliam causam refert [71]). Sed haec refutare opus non erit.

Accedit, quod etiam ii, qui in aliqua causa verba non fecerant tamen orationem scriberent et ederent, quod a M. Bruto factum esse quum Milo causam diceret, auctor est tum Asconius [72]), tum Quinctilianus [73]); scripsit enim Brutus et edidit orationem, quasi egisset, aliam defensionis formam secutus quam Ciceroni placuit, de qua tamen oratione Quinctilianus memorat dissensionem; narrat enim Brutum non egisse, ut Cornelius Celsus falso existimabat [74]). Quam igitur fidem his testibus habere possumus si iudicio discernendum est?

Alia orationum suppositarum causa recte inde derivatur, quod quum oratores Romani non solerent de scripto orationes dicere saepe factum sit ut, quas dixissent orationes, numquam ediderint. Nam solebant saepe ea solum litteris mandare, quae agendo animadvertissent auditoribus maxime placere [75]). Inde factum est ut oratio Hortensii pro Messala, quae maxime probata esset, totidem

---

70) Cic. Orat. 36. § 129.

71) Drumann. V. p. 323 f.

72) Ibid. p. 42. Orell.

73) Quinct. III. 6. § 93. X. 1. § 23. 5. § 20.

74) Quo tempore vixerit Cornelius Celsus non constat. Ob hanc ipsam dictionem Quinctiliani reiicienda videtur eorum opinio, qui eum Horatii, Virgilii, Ovidiique aequalem et amicum fuisse contendunt. — Vide Schilling, Quaest. Corn. Celsi vita, p. I. Lips. 1824. Cf. eumdem in Encycl. ex ed. Ersch. und Grüber. Sect. I. vol. XVI. p. 23 sqq. Bähr. Gesch. der Röm. Litt. II. p. 530 sqq. et Westermann Gesch. der Beredsamk. p. 255. Verum videntur vidisse qui eum Tiberio regnante scripsisse putant.

Iudicium quod de Celso tulit Quinctilianus, legitur I. O. XII. 11. § 24.

75) Hinc factum est, teste Plinio Ep. I. 20, ut Cicero partem orationum pro Murena et pro Vareno non ediderit. — Plura de hac re collegi in disp. de crimine ambitus et de sodalitiis apud Romanos tempore liberae Reip. L. B. 1854.

scripta verbis esset, quot dixisset [76]). Annos XXVII natus L. Crassus defendit Liciniam virginem, in qua causa fuit eloquentissimus, eiusque orationis partes quasdam scriptas reliquit [77]). Quin etiam, quum Curioni patri, Ciceronis aequali, memoria nulla esset, ex tempore dicere solebat, quamvis mens solita esset dicenti effluere, ut aliquando contio eum reliquerit dicentem [78]).

Quum Cicero quatriduo se Cornelium defendisse significaverit, actiones illas tamen in duas orationes contulit [79]), de qua causa Cornelius Nepos refert, se praesente iisdem paene verbis, quibus edita est, eam pro Cornelio seditioso tribuno defensionem peroratam esse [80]). Quod inverso ordine a L. Lucceio factum esse in Catilinam, quum ille repulsam tulisset, competitoribus Cicerone, Antonio aliisque, conficio ex Asconio [81]); accusavit enim Catilinam inter sicarios, ex qua accusatione plures orationes videtur composuisse quae ab Asconio laudantur.

Saepius tamen factum est, quod vel ex exemplis allatis, tum Hortensii pro Messala dicentis, tum Ciceronis pro Cornelio, apparere potest, ut, quae dicta essent, limatius in publicum ederentur, tum perspicuum est ex his verbis Ciceronis: „oratorem irasci minime decet: — an tibi tum irasci videmur, quum quid in causis acrius et vehementius dicimus: quid? cum iam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus, num irati scribimus?" [82]) Optimum huius rei documentum praebet oratio pro Deiotaro rege, quam Cicero scriptam reliquit. Quis enim in animum inducet, ut credat Ciceronem intra parietes ad C. Caesarem tam magnifice verba fecisse de tetrarcha quodam ex ultima Asia, praesertim quum ipse ad Dolabellam scribat [83]): „Oratiun-

---

76) Cic. Brut. 96. § 328.
77) Ibid. 43. § 160.
78) Ibid. 61. § 219.
79) Ascon. p. 62. Orelli.
80) Ita locum dedit Roth in ed. Aemilii Probi. Basil. 1841 p. 187. Servatur locus ap. Hieronymum contra Io. Hierosolymitanum c. 12. Ed. Vallars t. II. p. 419.
81) Asc. p. 92, 93. Orell.
82) Cic. Tusc. Disp. IV. 25. § 55.
83) Cic. ad Fam. IX. 12. § 2.

culam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi misi, quam velim sic leges ut causam tenuem et inopem. Sed ego hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense crasso filo cuiusmodi ipsius solent esse munera [84]).‟ Quis autem credat, ut unum exemplum apponam, Ciceronem dixisse praesente Caesare: „hanc enim C. Caesar causam si in foro dicerem eodem audiente et praesente te, — spectarem curiam, intuerer forum, coelum denique testarer ipsum [85]),‟ vel: „quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est, dico [86]).‟ — Sic etiam oratio, quam nunc pro Milone legimus, plurimum differt ab ea, quam Cicero dixit; nam, cum Cicero inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, quo factum est, ut non ea, qua solitus erat, constantia dixerit [87]): inde Milo de nostra oratione, quam postea animo collecto per otium scriptam exsulanti Massiliam misit Cicero, fertur oratori rescripsisse, bene sibi evenisse, quod eam in iudicio non pronuntiasset, numquam enim futurum fuisse, si hoc modo pro se dictum esset, tantos ut mullos ederet Massiliae [88]).

Anxie autem id agebant, ut scripta quam fieri posset limatissime in publicum prodirent: qua in re Ciceronem maximam curam posuisse vel inde apparet, quod orationem quandam, quam scripsisse se poeniteret, a se abiudicare conatus sit, hoc unico argumento, quod negligentius quam ceterae scripta esset [89]). Inde factum est ut saepius invicem opera sua miserint corrigenda: „laudationem Porciae tibi misi correctam: eo properavi, ut si forte aut Domitio filio aut Bruto mitteretur, haec mitteretur [90]).‟ Sic Cicero memorat orationem a Bruto habitam in concione

---

84) Cf. Mosche, Seebodii Arch. I. p. 218 sqq.
85) Cic. p. Deiot. 2. § 6.
86) Ibid. 2. § 5.
87) Ascon, p. 42. Orelli.
88) Dio Cass. XL. 54.
89) Cic. ad Att. III. 12. § 2.
90) Cic. ad Att. XIII. 48. § 2.

Capitolina, quam Brutus sibi miserat, ut eam corrigeret antequam ederetur [91]). Aliud exemplum talis correctionis apud Ciceronem legitur libri cuiusdam de Catone, quem Brutus Attico corrigendum miserat, cuius observationes admodum aegre tulisse videtur Brutus [92]). Ciceronem solitum esse sua scripta ad Atticum mittere supra diximus, quem adeo orationum suarum Aristarchum appellat [93]). Solebant autem oratores, antequam ad causam dicendam accederent quidem, meditari et capita rerum perscribere sed numquam fere neque orationem in iudicio, nisi propter rei magnitudinem [94]), et raro sententiam in Senatu de scripto dicere, nisi quod interdum senatus consultum scriptum afferebant, ut illud statim fieret [95]).

Orationes, quae dictae, non editae, erant, quarumque capita rerum erant perscripta, dicebantur esse in commentariis, ut narratur v. c. de Ciceronis oratione pro Scauro ambitus reo [96]). Melius fortasse erit Quinctiliani verba de commentariis hic adscribere [97]): „Plerumque autem multa agentibus accidit ut maxime necessaria et utique initia scribant, cetera quae domo afferunt cogitatione complectantur, subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium commentariis ipsius apparet. Sed feruntur aliorum quoque, et inventi forte, ut eos dicturus quisque compo-

---

91) Cic. ad Att. XV. 1. b. § 2.
92) Cic. ad Att. XII. 21. § 1.
93) Cic. ad Att. I. 14. § 3.
94) Cic. pro Plancio 30. § 74.
95) Cic. Phil. I. 1. § 3. ad Fam. X. 13. § 1. „Id ex ipso Scto poteris cognoscere; ita enim est perscriptum ut a me de scripto dicta sententia est."
96) Quinct. IV. 1. § 69. Addit haec Quinctilianus: „quae causa est in commentariis; nam bis eum defendit", ne quis confunderet orationem pro Scauro ambitus reo cum notiore illa pro Scauro repetundarum reo. Simili modo Asconius bis conatur errorem antevertere de Dolabellis, altero a Caesare, altero a Scauro accusatis. Ascon. p. 26 et p. 73. Orelli: quae certe faciunt, ut in ea re errores commissos esse credamus.

Sic nomine decepti multi Ennio poetae adscribebant libros *de litteris syllabisque* item *de metris:* »iure tamen, ait Suetonius de Ill. Gramm. c. 1., arguit Lucius Cotta non poetae sed posterioris Ennii esse." Aliud huius generis exemplum est ap. Meyerum op. l. p. 499.
97) Quinct. X. 7. § 30.

suerat, et in libros digesti [98]); ut causarum quae sunt actae a Ser. Sulpicio, cuius tres orationes exstant: sed ii de quibus loquor commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis videantur esse compositi. Nam Ciceronis ad praesens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit" [99]).

Ab hoc more veterum oratorum iam recessit Severius Cassius, qui auctore M. Seneca [100]) numquam dixit sine commentario, neque illo commentario contentus erat in quo nudae res ponebantur. Maxima parte perscribebatur ei actio: quin etiam illa, quae salse dici poterant, annotabantur.

Cicero igitur orationem editurus, si quando lapsus esset in dicendo, mutandi copiam habebat, unde factum est ut saepe multo limatius prodirent eae orationes in publicum, quam ab eo dictae essent. Accedebat, quod non raro ei dicendum esset nec opinato, quum otium ei datum non esset ut causam vel quaestionem meditaretur vel capita summa perscriberet, ut v. c. factum est in ipsa oratione in Catilinam prima, et cum pro Roscii lege theatrali ad populum verba faceret [101]). Quum igitur Quintus frater rogavisset Marcum ut sibi libros et orationes mitteret, ille respondit [102]): "Libros meos omnes quos exspectas inchoavi; sed conficere non possum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro et pro Plancio absolvi" [103]). Quod supra diximus multum discriminis intercedere inter orationem pro Deiotaro quam Cicero edidit et ea, quae apud Caesarem loquutus est, nec ullam fere similitudinem fuisse inter orationem pro Milone dictam et

---

98) Sic Diomedes Ciceronis causarum l. XIII. laudat p. 365. ap. Putsch.

99) Cf. Ascon. p. 87. Orelli. Ex quo loco quamvis mutilo conficio Asconium credidisse omnes orationes a Cicerone habitas in commentariis fuisse; nam quod Catilinae defensio in commentariis non esset, argumento est Asconio Ciceronem pro eo non dixisse.

100) M. Annaeus Seneca Praef. Exc. Controv. l. III. p. 424. ed. Gronov.

101) Plut. Cic. 13. Plin. H. N. VII. 30.

102) Cic. ad Q. fr. III. 1. c. 4. § 11.

103) Quid Cicero iudicaret de suis orationibus, apparet ex his verbis ex ep. ad. Q. fr. I. "alterum est de Calventii Marii (indicat L. Pisonem) oratione. Quod scribis, miror, tibi placere me ad eam rescribere, praesertim cum illam nemo sit lecturus, si ego nihil rescripsero; meam in illum pueri omnes tamquam dictata perdiscant."

editam, obiicitur Ciceroni universe a Q. Caleno apud Dionem [104]), qui affirmat nullam eum dixisse admirabilium earum orationum, quas nempe omnes postea conscripsit.

Orationis autem nostrae in Senatu habitae mentio fit in loco epistolae cuiusdam ad Atticum, ne quid gravius dicam, dubiae fidei: quae epistola data est post Kal. Iun. a. u. c. 694, id est duobus annis et quod excedit postquam oratio habita est. Sat igitur temporis et otii Cicero habuit ut eam, quemadmodum solebat, pure et dilucide conscriberet, perspiceret, corrigeret, ut tum denique ederetur. Exceptionem igitur, quam obiectum iri video, ac si haec oratio, quum ex tempore dicta esset, non tam accurate scripta esset quam ceterae Tullii orationes, non accipio, immo si revera a. u. c. 694 ad Atticum missa est et igitur edita, paene triennio postquam habita est, in ea maiorem etiam concinnitatem purioremque dictionem iure postulo. Eo enim tempore invidia illa iam flagrabat in consularem, (qua annum u. c. 692, non caruisse testis est oratio pro Sylla), neque „parenti patriae" omnes, sicut ipse in votis habebat, favebant; immo inimicissimus Tullii iam plane trib. pl. fieri cupiebat [105]), nec quemquam latuit qua de causa Clodius illud expeteret.

Solebat Cicero ore libero aliorum, si quod invenisset, vitia saepissime reprehendere et carpere [106]), quum ipse, ut constabat apud

---

104) Dio Cass. XLVI. 7.

105) Cic. ad Att. II. 1. § 5, 7.

106) Quinctilianus VIII. 2. § 4. memorat emendationem Ciceronis in oratione Dolabellae a se annotatam: idem VIII. 3. § 54. Hirtii vitium a Cicerone correctum indicat; quum enim Hirtius in Pansam declamans „filium a matre decem mensibus in utero latum esse dixisset," quid? aliae, inquit, in paenula solent ferre? Saepius corrigit Atticum in Epistolis, neque Antonio parcere potuit in Philippicis. Vid. v. c. III. 8. § 19 seqq. XIII. 10. § 22 sqq. 15. § 30 sqq. ex quibus unum adscribam, ex quo appareat Romanos nobiliores eo tempore iam neglexisse quod pueri docti sumus omnes. Scripsit enim Antonius Orat. l. § 43: „nec Lepidi societatem violare, *piissimi* hominis" de quibus Cicero: „tu porro ne pios quidem sed piissimos quaeris, et quod verbum omnino nullum in lingua latina est, id propter divinam pietatem tuam, novum inducis." Quum Tiro ad Ciceronem in epistola scripsisset quod reprehendendum videretur, sic rescripsit: „sed heus tu — unde illud tam ἄκυρον „*valetudini fideliter inserviendo.*" Unde in istum locum *fideliter* venit? cui verbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multae. Nam et doctrina et domus et ars et ager etiam fidelis dici potest ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda translatio." Cic. ad Fam. XVI. 17. § 1.

omnes, sermone uteretur puro et eleganti, quippe cui placeret, ut dicit Quinctilianus[107]), nullum unquam negligentem esse sermonem; quodquod loquemur ubicunque sit pro sua scilicet portione perfectum.

Inter testimonia auctorum classicorum de oratione prima in Catilinam, agmen ducit locus saepius laudatus ex l. II. Epp. ad Att. 1 § 3.—, quem ut genuinum existimem neque Madvigii, neque Hagenii, neque aliorum argumenta efficere possunt. Ne tamen temere ab illis viris dissentire videar, afferam cur ita censeam, nonnulla praemittens de argumentis iam ab Orellio allatis.

Iam ab omnibus, qui de hoc loco disputaverunt, dissentire me fateor, quum dicunt, si verba in ea epistola Ciceronis sint, rem esse confectam, neque Orellium suam sententiam obtinere posse. Quod eatenus admitto, quod illi γνησιότητα primae orationis extra dubium ponentes, negarent fieri posse ut quatuor orationum editarum tres periissent verae, falsae vero substitutae cum prima genuina ad nos pervenirent. Cuius argumenti vis cadat necesse est, si de prima quoque oratione dubium iniicitur, — nam etiamsi locus ad Atticum ipsius Tullii esset, fieri tamen poterat ut quatuor orationes essent suppositae. Nonne mentio fit apud Asconium orationis de haruspicum responso? — nonne grammatici laudant Marcellianam? Quoties mentio iniicitur apud Quinctilianum epistolarum Bruti et Ciceronis? Nonne misellas Pseudo-Ciceronis et Pseudo-Sallustii declamatiunculas historici et oratoris nomine laudat Fabius? Quid? non ipse Tullius ad Atticum misit orationem de domo apud Pontifices habitam? Sed hac defensione causa nostra non egere videtur: — Locus quo de agitur hic est:

„Oratiunculas autem, et quas postulas et plures etiam, mittam, quoniam quidem ea, quae nos scribimus, adolescentulorum studiis excitati, te etiam delectant. Fuit enim mihi commodum, quod in iis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut meae quoque essent orationes

107) Quinct. X. 7. § 28. cf. id. XI. 1. § 1. Cic. de Orat. III. 10 sqq.

quae consulares nominarentur. Quarum una est in Senatu Kal. Ian.: altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone, quarta pro Rabirio; quinta de proscriptorum filiis: sexta cum provinciam in contione deposui; septima, qua Catilinam emisi: octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit: nona in contione, quo die Allobroges involgarunt: decima in Senatu Nonis Decembr. Sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. Et quoniam te cum scripta, tum res meae delectant, iisdem ex libris perspicies et quae gesserim et quae dixerim: aut ne poposcisses: ego enim tibi me non offerebam."

Orelli sibi visus erat in hoc loco deprehendisse indicia orationis non Ciceronianae; sed eiusmodi sunt, si Madvigium audias, ut refutari vix debeant. — Sed vel sic tamen de verbis "oratio qua Catilinam emisi" altum est silentium, quum recte illud ἄκυρον dixisset Orelli nisi adderetur *ex urbe*, ut aliis in locis legitur [108]. Iam vero quum sententiae tres essent quae dubitationem vehementer moverent Orellio in hoc loco, Madvig respondet non hoc esse agendum ut diligentissime ad syllogismi formam causarum expositio in familiari epistola praescribatur, neque se putasse Orellium de suo ad orationis Ciceronianae proprietatem animadvertendam sensu tam bene existimare. Vix dicerem plures auctoritate summi viri quam argumentis in hoc loco motos esse, qui genuinas tres posteriores Catilinarias putarent. Occurrunt in brevi periodo, ut Orelli indicavit, tria ἅπαξ λεγόμενα: *"refractariolum, a dicendi genere se abiungere, involgarunt."* De primo Madvig respondet, quartam saltem partem diminutivorum uno tantum loco legi. Rursus tali argumento generali refringere conatur Madvig Orellii obiectionem: affectatione non carere Graeca in tam brevi loco nimis cumulata: dicens in epistola tertia, altero tanto fere longiore (si haec metienda sunt) undecies verba Graeca poni. Qui vero ita disputat nimium probando nihil probare videtur. Etenim longe alia res est in ep. 3.

---

108) Cic. pro Sylla 5. § 17. pro Muraena 3. § 6.

l. I, quam nostro loco. Iam vero si omnia quae Orelli obiicit vix ac ne vix quidem defendere posset Madvig, nonne mirandum esset omnia illa dubitatae fidei in unum illum locum brevem esse congesta?

Refractariolus igitur Latinum sit, licet ἅπαξ λεγόμενον, et quoad sciam unicum diminutivum adiectivi in *arius;* sed quid significat? genus dicendi *iudiciale,* quod refringit (nam ab hoc verbo derivandum est) adversarii argumenta. Nonne idem saepius obtinet in iis orationibus, quae in Senatu vel ad populum habentur? nonne Cicero refregit Rullii argumenta pro lege agraria? quid, quum populum concitatum flecteret in lege Roscia theatrali? Num refringendi vis in iudiciali genere igitur minor est, quod Cicero dicendus sit idcirco diminutivo usus esse? Aptum huic dicendi generi vocabulum est apud ipsum Tullium: „Thucydidem hoc forense, *concertatorium,* iudiciale genus non tractasse" [109]). Denique hoc adiectivum nostro loco insulse ponitur, ac si genus quoddam dicendi iudiciale esset non refractariolum.

Alterum est: *a dicendi genere se abiungere.* Qua in re Madvig miratur Orellium non meminisse prorsus eodem modo dici: ab orationibus disiungo me fere [110]). Quodsi disiungo et abiungo prorsus idem est, valeat etiam hoc praeceptum de abiicio, disiicio, adimo, dirimo, similibus; et omnis praepositionum vis sublata erit. Quid vero sit abiungere, docemur hoc Virgiliano:

it tristis arator
maerentem abiungens fraterna morte iuvencum [111]),

cui opponitur: adiungere [112]).

Tertium est *involgarunt,* quo Gellium [113]) quater usum esse defendit Hagen [114]) (nam Madvig de hoc vocabulo non agit), ne

---

109) Cic. Brut. 83. § 287. ubi vocab. *iudiciale* ab interpolatore explicandi gratia additum est.

110) Cic. ad Fam. I. 9. § 23.

111) Virg. Georg. III. 517.

112) Horat. Sat. II. 3. 247. Tib. I. 10. 7.

113) Gell. N. A. praef. § 14. ed. Teubn. IV. 9. § 9. XI. 7. init. XX. 5. § 8.

114) Hagen de Cic. Catilinariis p. 23.

adiiciens quidem se verbo uti minus usitato. O miram defensionem! illud vocabulum huic loco convenire, quod Gellius, quum eo uteretur, non addiderit illud apud scriptores antiquiores non legi! nam praeterquam quod *ἅπαξ λεγόμενον* est, sententiae non convenit. Sed apponam ipsius viri doctissimi verba: „Atque haec vox locum suum obtinebit: sermone hominum et rumoribus satis trita erat Catilinae coniuratio sed, ut sunt homines, vulgus, quum saepius eadem spargerentur, vel non credidit, vel audita neglexit, donec Allobrogibus captis tota res omnibus vel infimis patebat omniumque animos ad se convertebat. Eamque significationem ubique Gellius retinet immo IV. 9. opponit: *templa reverenda magis quam invulganda*, ubi perparum a *contaminando* abest." Haec Hagen. At Allobroges secundum Ciceronem in coniuratione Catilinaria indicium solum dederunt in Senatu [115]), quod certe non convenit significationi verbi *invulgandi* quum a *contaminando* perparum abest. Neque tribus aliis locis Gellianis eam significandi potestatem habet ut cum Ciceronis verbis convenire possit. Nam ubique pervulgandi potestatem habet; quo fit, quum Allobroges solum indicarint in Senatu, ut inepte hoc loco positum sit. De Cicerone ipso fortasse recte adhiberetur, quippe qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa in Senatu perscribenda curarit, easque tabulas statim describi iusserit ab omnibus librariis, dividi, passim *pervulgari* atque edi populo Romano imperaverit [116]); immo Cicero affirmat locum in orbe terrarum fuisse nullum, quo in loco populi Romani nomen esset, quin eodem perscriptum illud indicium pervenisset [117]).

Quum igitur Orelli recte posuerit haec verba ab omni Ciceronis consuetudine abhorrere videri, dispiciendum quoque erit de ceteris argumentis, quae efficiunt ut totum hunc locum a sciolo intrusum esse credamus. Quid enim significant: „fuit mihi commodum"? Incommodum nullum opponi potest; igitur, ut sensus insit his verbis, explicanda sunt per: placuit, libuit, ut saepius

---

115) Cic. p. Sylla 13. § 36 sqq.
116) Cic. p. Sylla 14. § 41 sqq.
117) Cic. p. Sylla 15. § 43.

apud Ciceronem invenitur [118]). Igitur placuit Ciceroni haec edere quoniam Demosthenes ediderat Philippicas, quod quum per se fit ridiculum, tum pugnat cum iis, quae statim praecedunt: se scribere excitatum adolescentulorum studiis, et ad Atticum se ea mittere, quod etiam eum delectarent.

Insulsa et inepta est illa comparatio Philippicarum [119]) et orationum a Cicerone in consulatu habitarum. Philippicae enim unum consilium spectant, orationes illae Ciceronis diversissimis de rebus scriptae sunt: aeque ridicula est ipsa Attici oratoris, (quem nominare adiuncto *Philippicarum* nomine falsarium prodit), et Romani comparatio; nam Cicero iam diu ante consulatum saepe de gravissimis rebus locutus erat; Demosthenes contra priore vitae parte non egit causas nisi aliis. Etiam falsum est Demosthenem idcirco causas privatas reliquisse ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur. Neque video quo iure illae orationes consulares dici possint; — consulare enim hoc est, quod est proprium consulis [120]). Si igitur illas omnes consul ex officio, ut nos loquimur, habuit, defensorem haec locutio fortasse inveniret; nunc vero aeque absurdum est ac, si Cicero hoc anno, quo consul erat, filiolo auctus esset, hunc puerum filium consularem si diceremus. Praeterea in omnes non convenit quod dicit personatus Cicero, se ab iudiciali dicendi genere se abiunxisse; nam ex eo genere est oratio pro Rabirio, licet ad populum habita. Neque illae orationes coniunctim σῶμα efficere dici possunt; hoc enim, ut corpus [121]) usurpatur de collectione, sed dici non potest nisi de rebus quae necessario cohaerent, quod non cadit in has orationes a Cicerone consule habitas, quibus etiam deest oratio pro Muraena ambitus reo. Etiam hoc mirum videri potest Ciceronem iam antea, nempe initio anni superioris VI Kal. Febr., M.

---

118) Cic. Verr. II. II. 13. § 33, 16. § 39. II. I. 26. § 65. de Orat. III. 23. § 87.

119) Cic. p. Rab. § 38.

120) Nescio quo errore factum sit, ut Wolf hoc loco sermonem esse putet de Ciceronis Philippicis. Proleg. ad Marcell. p. XVIII. adn. f.

121) Hoc vocab. utitur Cic. Brut. 57. § 208. „Sed nihil vitiosius quam, cum unum corpus debeat esse defensionis, nasci de integro causam, cum sit ab altero perorata."

Messala M. Pisone coss. [122]) mentionem fecisse orationis Metellinae, quam dixit in Metellum, qui trib. pl. se impediverat quominus, quum consulatum deponeret, verba ad populum faceret. Oratio illa habita est contra contionem Metelli paucis diebus postquam L. Murena et D. Silanus magistratum inierant [123]), eiusque argumentum arctissime cohaerebat cum coniuratione Catilinaria et omnino cum Ciceronis consulatu. Haec oratio, ex qua Quinctilianus locum affert [124]), eadem est quam Cicero postea a se abiudicari cupiebat, quippe negligentius scriptam quam ceteras [125]).

Quae deinde scribit „iisdem ex libris perspicies et quae gesserim et quae dixerim", magis ridicula sunt quam dici potest. Atticus enim per totum spatium consulatus Ciceronis Romae fuerat [126]) eo consilio, ut amico adesset. Consul eum signiferum et principem cum equitatu in clivo Capitolino collocaverat [127]), quo tempore Catilina in Senatu erat et Cicero orationem in eum dixit. In omni re Tullius usus erat consiliis Attici pro intima eorum familiaritate; et huic homini, paene triennio post, Ciceronem orationes misisse serio contendas ut *perspiceret quae gessisset et quae dixisset!* Quae verba etiam alio nomine absurda sunt. Nam in initio huius epistolae Cicero scribit sibi Attici commentarium Graece scriptum de consulatu suo esse redditum, qui tam amice conspiraret cum ipsius Tullii de iisdem rebus libro, ut laetaretur se illum antea ad Atticum perferendum dedisse: „nam si ego tuum antea legissem, furatum me abs te diceres." Non opus est ut inquiramus quis primas partes egerit in illo Attici commentario, qui Ciceronis libro simillimus erat; consul et orator faciebat utramque paginam, et vel sic tamen, credo, post huius commentarii editionem Atticus avebat scire quid Cicero gessisset et

---

122) Cic. ad Att. I. 13 f.
123) Brückner, Leben des M. Tullius Cicero p. 263. (Gött. 1852).
124) Quinct. IX. 3. § 50.
125) Cic. ad Att. III. 12. § 2.
126) Vide Hullemanum in diatribe laud. p. 38. ibique auctores.
127) Cic. ad Att. II. 1. § 7.

dixisset! Iam vero Cicero solebat mittere orationes suas ad Atticum simulac otium nactus erat ut eas perscriberet [128]), non triennio post.

Quid sibi velint haec ultima: „aut ne poposcisses; ego enim tibi me non offerebam", et quomodo cohaereant cum superioribus, libenter fateor me nescire. Quodsi alios locos, ubi Cicero scribit ad Atticum vel ad alios de scriptis suis, cum hoc loco comparabimus [129]), in aprico est eum numquam insulso modo indicare quid suis libris contineatur. Praeterea intererat ipsius Ciceronis ut eae orationes, praesertim de lege agraria et in Catilinam, quantocius ederentur; vulgo enim id obtinet in orationibus, quae in Senatu vel in contione habentur, ut plus habeant auctoritatis et avidius legantur paulo post quam dictae sunt; quod in nullam causam magis cadit quam in hanc Catilinariam; tunc etiam quo tempore hae orationes ad Atticum missae esse dicuntur in nostra epistola, iam flagrabat invidia illa, quam Cicero metuebat maxime, quamque orationibus illis edendis non erat sopiturus.

Accedit, quod, mihi quidem Cicero iam antea ad Atticum orationes in consulatu habitas videtur misisse. Quum enim in orationem Metellinam Attico non ignotam se quaedam addidisse scripsit, indicavit Atticum de aliis orationibus sibi missis iam rescripsisse: „quae laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant, sed non audebam antea dicere, nunc vero quod a te probata sunt multo mihi ἀττικώτερα videntur" [130]); quae ut de orationibus in consulatu habitis dicta putem, tum efficiunt illa quae adduntur: „in illam Metellinam addidi quaedam", tum locus ex epistola 14 eiusdem libri I, Id. Febr. M. Messala M. Pisone coss. data: „Crassus posteaquam vidit illum excepisse laudem ex eo, quod

---

128) Sic v. c. Cicero primis litteris quas Attico dedit (IV. 2) (quae eo tempore rariores ab eo dabantur) postquam de domo apud Pontifices dixerat, scribit se cito missurum orationem, quamvis Atticus eam non desideraret. Orationem contra contionem Metellinam habitam initio a. u. c. 692 promittit se missurum a. d. VI Kal. Febr. a. u. c. 693. ad Att. I. 14. § 5.

129) v. c. Cic. ad Att. I. 13. § 5. III. 12. § 2. IV. 2. § 2. XIII. 21. § 4, 5. XVI. 3. § 1, 11. § 4.

130) Cic. ad Att. I. 13. § 5.

suspicarentur homines ei consulatum meum placere, surrexit, ornatissimeque de meo consulatu locutus, ut ita diceret, se, quod esset senator, quod civis, quod liber, quod viveret mihi acceptum referre: quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties se beneficium meum videre. Quid multa? Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flamma, de ferro — nosti illas ληκύθους — valde graviter pertexuit" [131]). — Haec, ut mihi quidem videtur, satis indicant Atticum Ciceronis orationes nonnullas in consulatu et post consulatum habitas, v. c. pro Sylla, iam retractasse et correxisse, neque errare me arbitror si verba „a. d. III Non. Dec. mendose fuisse animadverteram" [132]) refero ad locum quemdam in illis orationibus ab Attico correctum.

Si igitur ille locus insiticius est, quod mihi extra omnem dubitationem videtur, quaeri potest, qui fieri potuerit ut haec omnia in textum irrepserint, et quo auctore hoc factum sit. Orellio quid visum fuerit diximus, qui ea de causa stomachum movit Madvigio [133]), verbis Orellii „summopere a se honoratum iri optimum patronum opinatus est, si res eius gesta tam illustris non una dumtaxat sed quatuor orationibus celebraretur" [134]) subiungenti: „o miram fingendi licentiam, et in dubitando credulitatem! Ergo Tiro non narrando sibi illam rem celebrandam putavit, sed qui numquam verbum in conventu hominum fecisset nec oratiunculam scripsisset, patroni sui, summi oratoris laudem suis orationibus eius nomini subiiciendis augendam existimavit." Iure eam Orellii sententiam reprehendit Madvig; nam vix aut ne vix quidem cogitare quis potest Tironem hoc sibi sumpsisse, ut patronum non solum imitaretur, sed ut cum patroni oratione, a Sallustio *luculenta* dicta, orationes suas ederet patroni amicis et studiosis qui imponeret, idque quod summopere honoratum iri optimum patronum opinaretur. In hoc igitur errore indicando

---

131) Cic. ad Att. I. 14. § 3.
132) Cic. ad Att. I. 13. § 5.
133) In praef. ed. II^{ae}. Oratt. selectt. XII. pag. XXXVI seq.
134) Orelli ed. XV. Oratt. selectt. p. 179.

ridendoque, magis Orellium, quam eius opinionem de tribus orationibus posterioribus prostravit Madvig; nam si, quae posuit Orelli de ratione qua illa verba in textum irrepserint, falsa sunt, idcircone statim tibi res ipsa condemnanda esse videtur? Si a Tirone non sunt suppositae eae orationes et locus in epistola, inde iam luce clarius apparet ab ipso Tullio ea omnia esse scripta? Vix credo quemquam inveniri, qui haec ex animi sententia contendere velit. Et vel sic tamen Madvigio res confecta videbatur, quum Tironianam fabulam „sine qua tamen res non procedit, dimitteret." Obversabantur mihi, quum Madvigii defensionem legerem, haec Ciceronis verba ex oratione pro Quinctio: „homines nobiles seu recte seu perperam facere coeperunt in utroque excellunt." Nam quo argumento haec opinio nititur de Tirone epistolarum Ciceronis ad Atticum editore? Nullum firmum video, et summo iure a Tunstallo fides huic sententiae denegata est [135]). Vulgaris opinionis, Tironem Ciceronis epistolas edidisse, (de aliis [136]) enim monumentis Tulliani ingenii nunc non ago), haec testimonia laudantur [137]).

1. Mearum epistolarum nulla est *συναγωγή*, sed habet Tiro instar septuaginta: et quidem sunt a te quaedam sumendae; eas ego oportet perspiciam, corrigam, tum denique edentur [138]).

---

135) Tunstall. in Ep. l. p. 15.

136) Dicitur Tiro etiam edidisse librum quo continebantur dicta patroni: „Utinamque libertus eius Tiro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsisset et plus iudicii in eligendis quam in congerendis studii adhibuissent." Quinct. VI. 3. § 5. Videsne Fabium quoque hoc loco in nomine editoris haerere? cf. Vavassor, de dictione ludicra I. p. 339 seqq. ed. Kappii, qui hos libros etiam a Tirone abiudicat. Iam vivo Cicerone permulta dicta illius nomine circumferebantur ab aliis profecta. Cic. ad Fam. IX. 16. § 4. pro Plancio 14. § 35. Dictum ex libris illis Tironis affert Schol. Bob. p. 309 f. Orell. Videtur C. Trebonius quoque librum de dictis Ciceronis scripsisse. Cic. ad Fam. XV. 21. § 2.

137) Cf. Io. Corn. d'Engelbronner, disp. de M. Tullio Tirone (Amstelod. 1804) p. 38 sqq.

138) Cic. ad Att. XVI. 5. § 4. Quae praecedunt: „Nepotis epistolam exspecto. Cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime *γαυριῶ*, legenda non putet. Et ais *μετ' ἀμύμονα*. Tu vero *ἀμύμων*. Ille quidem *ἄμβροτος*," Hullemanus diatr. l. p. 193. adn. 2. interpretatur, ac si Nepotis rogatu eas colligere constituisset; Tironemque verisimiliter colligendi et digerendi initium vivo Cicerone fecisse. Haec tamen, ut in aprico est, omni fundamento carent.

2. Video quid agas. Tuas quoque epistolas vis referri in volumina [139]). (Haec scripta sunt ad Tironem).

3. Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum, sed tamen salvum est, et ait Tiro te habere oportere, et ut recordor una cum illius obiurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi [140]).

Haec igitur sunt de Tirone epistolarum ad Atticum editore testimonia, quibus certe res non extra omnem dubitationem posita est, neque illis argumentis quidquam accedit praeter famam vulgarem [141]). Priores duo loci quos laudavi, nil quidquam probant; tertius vero diserte contrarium docet eius, quod viri docti inde hauserunt. Atticus enim postulat epistolam ad Brutum a Tullio datam, cuius exemplum Cicero non habebat; si igitur Tiro Tullii epistolarum *συναγωγήν* comparabat, nullo negotio descripta ad Atticum mitti poterat: sed Tiro aiebat, quod et Cicero ipse recordabatur, se epistolam illam ad Atticum misisse. Atticus, ut supra demonstravimus, cupide postulavit omnia quae Cicero scribebat, cuius libri pretiosiores habebantur et summam gloriam retinebant si ab Attico essent descripti [142]). Quodsi Ciceronis epistolae a Tirone erant collectae ut ederentur, sine dubio etiam quas Atticus rescripsit ad Tullium addidisset, quarum tamen ne vestigium quidem invenitur. Epistolae autem nunc editae sunt eo ordine quo ad Atticum pervenerunt [143]), non quo ordine datae sunt, multaque corpori ei insunt, quae a Tirone, si patronum honorari voluisset, certe numquam in lucem fuissent prolata.

Quis vero supposuerit has orationes, non facile ad liquidum perducetur. Epistolarum ad Atticum libros XVI [144]) editos esse testimonio certissimo Nepotis constat [145]), qui in libro de Attici

139) Cic. ad Fam. XVI. 17. § 1.

140) Cic. ad Att. XIII. 6. § 3.

141) Vide d'Engelbronner, op. l. p. 39.

142) Frontonis Ep. I. 6. p. 15. ed. Romae 1823.

143) Vide huius dispositionis exempla apud Tunstallum p. 13 seqq.

144) Scripsi: XVI libros, quum nullam viderem causam emendatiunculae Rothii, qui edidit: „XI volumina epistolarum ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum" in ed. Aem. Probi p. 165.

145) Nepos. Att. 16. § 2.

vita post a. u. c. 722. conscripto, haec de illis epistolis testatur: „quae (volumina) qui legat, non multum desiderat historiam contextam eorum temporum." Ab Attico servatas epistolas, post illius mortem esse editas verisimile videtur. Quibus quum loco, ut falsario certe visum est apto, addita essent verba illa supposita, auctoritatem adeptae sunt istae orationes, quae Cicerone indignissimae sunt. Sed licet alia ratione epistolae editae sint, quam ego proposui, modo non a Tirone, mea nihil refert; quum certum sit Madvigium non posse sententiam suam probare hoc solo argumento quod indicaverit Orellium in nomine falsarii esse lapsum. A studiis illorum temporum, quae post Ciceronis mortem secuta sunt, non abhorrere tales orationes conflare, non est difficile paucis demonstrare.

Nam libertate amissa, licet nomen et umbra reip. maneret, eloquentia retro se tulit, ut ait Seneca [146]), et quidquid Romana facundia habuit, quod insolenti Graeciae aut opponeret aut praeferret, circa [147]) Ciceronem effloruit. Ut enim apud Graecos tempore Demetrii Phalerei, quem ultimum oratorum Atticorum nominat Quinctilianus, quique primus inclinasse eloquentiam dicitur [148]), fictae ad imitationem fori consiliorumque materiae apud Graecos dictae sunt, sic Latini dicendi praeceptores extremis Crassi temporibus Romae esse coeperunt [149]). Quorum praeceptorum maxime insignis fuit Plotius, qui tamen multis minime probabatur, ita ut Cicero, qui eius audiendi cupidissimus fuisse videtur, auctoritate hominum doctissimorum contineretur, quin illum adiret [150]). Romanam iuventutem ad tales praeceptores

---

146) M. Seneca pater. Contr. l. I. praef. p. 65.

147) Utitur Seneca, qui Ciceronis fere aequalis dici potest, (praef. ad contr. l. I. p. 67. quippe quem non aetas sibi eripuisset; bellorum autem civilium furor Senecam intra coloniam suam retinuit) voc. *circa*, quod apud recentioris aevi scriptores saepe ita vitam et aetatem alicuius hominis designat, ut nomen loci pro tempore ponatur, qua significatione apud Ciceronem et antiquiores non invenitur: cf. adn. 93. Handii Tursell. II. p. 65.

148) Quinct. X. 1. § 80.

149) Quinct. II. 4. § 42.

150) Cic. apud Suet. de Cl. Rhet. c. 2, cf. M. Seneca. Contr. II. Praef. p. 147.

confluxisse non est quod miremur; nobiles enim, praeter Ciceronem [151]), non amplius observabant morem illum maiorum ut iuvenes ad se deduci paterentur; luxuria et mollitie affluentes ea non curabant: quo factum est ut mercenariis illis praeceptoribus pedetentim tota iuventutis nobilissimae institutio committeretur. Cuius generis illi homines vulgo fuerint, apparet ex iis, quae Seneca scribit: „ante illum (nempe Blandium rhetorem, equitem Romanum) intra libertinos praeceptores pulcherrimae disciplinae continebantur; et minime probabili more turpe erat docere, quod honestum erat discere" [152]).

Quid L. Crasso de illis Latinis Rhetoribus visum fuerit, novimus ex notissimo edicto [153]). At hoc edictum non per longum temporis spatium observatum fuisse videtur. Nam quum rhetores paullo ante Ciceronis tempora exstiterint [154]), postea a Crasso docere prohibiti, non diu post ita crevit declamandi studium, ut Cicero [155]), quum praetura fungeretur, frequentaret scholam M. Antonii Gniphonis [156]). L. Plancus orator, Ciceronis amicus, in contubernium receperat L. Albutium Silum Novariensem, qui Romae etiam scholas aperuit. Solebat autem Plancus declamaturus prius aliquem, qui ante diceret, excitare; quas partes Silus susceptas ita implevit, ut Planco silentium imponeret non audenti se in comparationem demittere [157]). Multorum deinceps scholae Romae aperiebantur: et sic paullatim factum est ut, quae antea viguerat et regnaverat in foro eloquentia, mutatis moribus nova reip. forma, intra parietes et umbras scholarum se continuerit et obmutuerit. Argumenta earum declamationum initio thesibus con-

---

[151]) Ad hunc plures deducti sunt. v. c. Caelius.

[152]) M. Seneca pater. Controv. l. II. praef. p. 146. Vide Hertz, Schriftsteller und Publikum in Rom. (Berlin. 1852) p. 8.

[153]) Gell. XV. 11. Fischer Röm. Zeittaf. ad a. u. c. 662.

[154]) Dialog. de Oratt. 35. § 1.

[155]) Ciceronem quotidie declamare solitum fuisse, notum est ex eius Bruto 90. § 309 sq.; inque iis studiis discipulos eum habuisse Dolabellam, Hirtium, alios ipsius Tullii testimonio constat. Cic. ad Fam. IX. 8. § 1, 16. § 7. cf. 7. § 2. et VII. 33. § 2. Adde Suet. de Cl. Rhet. 2. Quinct. VIII. 3. § 54.

[156]) Suet. de Ill. Gramm. 7.

[157]) Suet. de Cl. Rhet. 6.

tinebantur, quae sumebantur ex rerum comparatione, ut: rusticana vita an urbana potior; iurisperiti an militaris viri laus maior, quem locum Cicero tractavit in Muraeniana [158]), multaeque aliae, quas Quinctilianus recenset l. l., quaeque in foro utilitatem suam habere poterant, quasque iuvenes ita memoriae mandabant, ut quoties daretur occasio, iis ut emblematis uterentur in orationibus suis extemporalibus in foro. Quum vero haec minus iucunda viderentur et ad studia excitanda parum idonea, postea nominibus additis suasorias et controversias declamabant [159]) ex historia antiquiore vel etiam recentiore desumtas. Cuius generis sunt quaestiones illae, quas Seneca rhetor, Quinctilianus [160]), alii saepius memorant; v. c. deliberat Numa an regnum offerentibus Romanis recipiat; deliberat Cicero an Antonium deprecetur; vel, deliberat Cicero an scripta sua comburat promittente incolumitatem Antonio si fecisset, similia [161]). Multa igitur quotidie in schola agebantur, quae in foro numquam locum habere poterant [162]); contra etiam ex ipso foro argumenta saepissime petebant. Sic v. c. Cestius solebat nonnullis orationibus Ciceronis rescribere, et quo tempore ille Romae vivebat [163]) adeo torpebat eloquentia, ut Cestii discipuli illius declamationes ediscerent, Ciceronis orationes non legerent nisi eas, quibus Cestius rescripsisset [164]). Quarum orationum unam memorat Quinctilianus [165]), nempe in Milonem; fragmentum ex quo de toto hoc genere iudicare possis hoc est, ex ipsa illa oratione: Si Thrax essem, Fusius essem, si pantomimus essem, Bathyllus essem,

158) Quinct. II. 4. § 24.
159) Auct. dial. de Oratt. 35. § 4.
160) Quinct. VII. 1. § 24. III. 8. § 19, 46, 53.
161) M. Annaeus Seneca Suas. 6, 7.
162) Auctor dial. de Oratt. 35. § 5. Quinct. II. 10. § 4. — Sint ergo et ipsae materiae, quae fingentur, quam simillimae veritati, et declamatio, in quantum maxime potest, imitetur eas actiones, in quarum exercitationem reperta est. Nam *magos*, et *pestilentiam* et *responsa*, et *saeviores tragicis novercas* aliaque magis adhuc fabulosa, frustra inter *sponsiones* et *interdicta* quaeremus.
163) Smyrna Romam veniebat a. u. c. 741. Meyer fragm. Oratt. p. 537.
164) M. Seneca pater, Praef. Exc. Contr. l. III. p. 428.
165) Quinct. X. 5. § 20.

si equus, melissio; cui sine dubio optimo iure, qui adstabat, haec: „at si cloaca esses, maxima esses" [166]). Quod Caligula quoque fecisse narratur [167]); immo huiuscemodi declamatio ad nos pervenit, nempe Porcii Latronis, notissimi declamatoris, contra L. Sergium Catilinam, in Senatu a Cicerone scilicet habita; quam non credo unquam eum habiturum fuisse, si egregia illa prima oratio tunc in illius aliorumque manibus fuisset. Solebant illi homines, quamvis Cestius infestus esset Ciceroni [168]), saepissime de Tullio vel in Tullium declamationes scribere, quod tum ex allatis exemplis apparet, tum ex declamatione Capitonis [169]), quae ferebatur de Popillio, Ciceronis interfectore, quae, ut Meyero [170]) videtur, propter bonitatem, postea Porcio Latroni tributa est [171]). In illis declamationibus quum cupide audirentur a discipulis, qui etiam Cestium suum Ciceroni praeferrent, nisi lapides timerent [172]), ea usi oratione, ut calamistris multis, lascivia verborum et levitate sententiarum, et licentia compositionis, histrionales modos exprimerent, quod verae eloquentiae gustum non haberent, optimi et germani Cicerones sibi videbantur: immo quotusquisque scholasticorum [173]) non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum [174])?

166) M. Seneca l. l.

167) Suet. Calig. 53.

168) M. Seneca Suas. 7. p. 57.

169) M. Seneca Contr. l. V. p. 353.

170) Meyer, fragm. Oratt. p. 542.

171) Huc etiam referenda videtur quae fertur Ciceronis oratio „pridie, quam in exsilium iret," de qua haec leguntur in cod. Ms., qui servatur in Bibl. Acad. Rheno-Trai., quo omnes orationes Ciceronis continentur cum Sallustii invectiva in Ciceronem, Ciceronisque invectiva in Sallustium: „Oratio, cuius initium, *Si quem inimicorum*, noluit huic volumini inseri is, cuius studio superiores in unum veluti corpus redactae sunt. Eam namque non a Cicerone, pridie quam proficisceretur in exsilium, sed ab aliquo declamatore, quisquis ille fuerit nihil ad nos, editam, non ineptus in hac re iudex palam dictitat atque aperte pronuntiat."

De aliis orationibus suppositis Tullii nomine vide Bähr, Gesch. der Röm. Litt. II. p. 295. ed. 3ae.

172) M. Seneca Exc. Contr. III. p. 427.

173) Auctor dial. de Oratt. 26 f.

174) Hunc locum ita constituit Dronke: (Taciti dialogus de Oratoribus. Confluenti-

Plura hic addere ad id demostrandum, quod susceperam, non opus esse puto. Quid in illis exercitiis factum sit de pueris et adolescentibus, apponam verbis Petronii [175]), quae licet alio tempore conscripta, in hanc aetatem optime conveniunt: „Qui inter haec nutriuntur non magis sapere possunt, quam bene olere qui in culina habitant:" et paullo post: „nunc pueri in scholis ludunt, iuvenes in foro riderentur: et quod utroque peius est, quisque perperam discit in senectute confiteri non vult."

Sed revertamur ad testimonia scriptorum, de oratione nostra. Provocant, qui authentiam primae Catilinariae defendunt, ad Asconii Pediani [176]) testimonium, qui ad verba orationis in Pisonem: „Ego in C. Rabirio, perduellionis reo, xxxx annis ante me consulem, interpositam Senatus auctoritatem sustinui contra invidiam atque defendi," annotat [177]), in eo loco non subtilem annorum computationem factam esse, sed tempus summatim esse comprehensum, quibus haec addit: „Itaque idem Cicero in ea quoque, quam habuit in Catilinam in Senatu, cum octavus decimus dies esset, posteaquam factum Sctum, ut viderent consules ne

---

bus 1828): „Quotus enim quisque non hac sua persuasione utitur, ut se ante Ciceronem *non* numeret, sed plane post Gabinianum?" Sic certe, particula *non* intrusa, contra omnium codd. auctoritatem, tota oppositionis vis perit. Boetticher in ed. sua (Berol. 1838) inter alias explicationes, (ac si locus unus tribus vel quatuor variis modis explicari posset): fortasse etiam ita defungi possumus, ut levi transpositione legamus: „ut ante se Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum, i. e. post se. (adverb.)"

Sed talia tentamina vel divinandi pericula non possunt dici interpretationes. Ex tota Messalae disputatione apparet scholasticorum temporum illorum hanc fuisse sententiam, ut facile paterentur ut post Gabinianum celeberrimi nominis rhetorem nominarentur: erat autem persuasum iis, se Ciceronem facili vincere posse negotio.

175) Petronii Satir. I. 1 sqq.

176) Asconius peritissimus historiae aetatis Ciceronianae, cuius ad res cognoscendas permulta auxilia habuit, (Madvig de Q. Asc. Pediani commentariis (Hauniae 1828) p. 62 sq.), senex Vespasiani tempora attigisse, et fortasse Titi et Domitiani, videtur Madvigio, qui putat, illum natum esse paullo ante annum primum Christi, (ibid. p. 16) secundum testimonium Hieronymi, conciliatum cum aliorum, tum ipsius Asconii verbis, qui scribit de Scauri domo: „possidet eam nunc Largius Caecina (sic enim cum M. legendum est), qui consul fuit cum Claudio." Claudius II consul fuit cum Largio Caecina a. u. c. 795. Scripsit igitur aliquanto post illum annum, et, ut Madvig putat, post mortuum Claudium. (ibid. p. 4.)

177) Asc. Ped. p. 6. Orell.

quid detrimenti respublica caperet, dixit vicesimum diem habere Senatusconsultum tanquam....." [178]).

Asconium h. l. mutatione quadam, memoriter scripto mandasse notissimam periodum orationis nostrae, manifestum est. Sed videamus, ecquid facere debeat ad sententiam nostram evertendam. In quo diiudicando hoc primum quaeri debet, potueritne Cicero scribere, se vicesimum iam diem pati hebescere aciem Senatus auctoritatis. Senatus enim habitus est a. d. VII Id. Nov.; quod quum personato Ciceroni constare non videatur [179]), apparet ex testimonio Asconii l. l. „quum dies decimus octavus esset". Factum est igitur a. d. XI Kal. Nov. (i. e. d. 21 Oct.). Romani enim in numeralibus ordinalibus hanc rationem sequuntur, ut terminum ex quo et terminum ad quem, numero significando adnumerent, ut tertius dies iis sit ante quem unus interiiciatur [180]). Quae quum ita sint, iure quaeritur, qui Cicero scribere potuerit, quum dies esset decimus octavus, se vicesimum *iam* diem habere illud Sctum. Nam licet in cardinalibus inconstantia quaedam esse videatur, si numerum indicare velis, hoc de ordinalibus numeralibus concedi non potest, in quorum usu eundem morem Romani sequuntur, quem nostrates v. c. in puerperis observant. Multo minus ab eo more recedi potest, si particula *iam* additur; nam, quod de *abhinc* in cardinalium usu notavit Madvig l. l., in ordinalibus quoque obtinet, addito *iam*, nempe ut ita plane tempus exactum significet, ut numquam id Romani, nisi forte errore numerandi, aliter posuisse videantur: et in nostro loco de Tullii errore nemo cogitabit. Sic Cicero scribit [181]): „non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum iam tertium ac vicesimum regnat" [182]). Bellum enim Mithridaticum

178) Leni medicina hic locus corrigendus videtur, ita ut legatur: „dixit vicesimum diem habere *se* Senatusconsultum tanquam...."

179) Discrimen enim est inter §§ 8 et 9 orationis primae et §§ 6 et 13 orationis secundae.

180) Madvig. praef. Oratt. XII. selectt. p. XXXVII. Notissima exempla sunt: *febris tertiana*, *quartana* cett.

181) Cic. de imper. Cn. Pompeii 3. § 7.

182) Alia exempla, addito *iam*, vide v. c. Cic. ad Fam. II. 10. § 3. VII. 26. § 1. ad Att. V. 8. § 1.

geri coeptum est a. u. c. 666; lex Manilia rogata, a. u. c. 688. Idem etiam *iam*, addito numerali cardinali, indicat, quod *abhinc*: v. c. „Quis exercitatior, qui viginti *iam* annos bellum geram cum impiis civibus"? [183]) quod Cicero dixit a. u. c. 711; computandi initium facit a consulatu a. u. c. 691; habita autem est oratio Philippica VI pridie Non. Ian. coss. Hirtio et Pansa.

Cicero igitur haec scribere non potuit et Asconius sibi imponi passus est, qui verba falsarii pro vere Ciceronianis haberet.

Non alienum a re nostra videtur, hic paullo accuratius inquirere in ea, quae dixit Madvig, ut Ahrensii opinionem refutaret, Romanorum in numeris cardinalibus maiorem inconstantiam esse, eamque rationem etiam frequentiorem, ut in annorum intervallis computandis, non primum et postremum annum pro plenis numero comprehenderent, sed tantum alterumutrum. Ad quam sententiam confirmandam, provocat ad enarratores Livii [184]). Primus autem Livii locus laudatus: „nono post demum anno, cum P. Quintio Penno, A. Cornelium Cossum consulem habeant" cett. hic in censum non venit, quippe in quo ordinale numerale, non cardinale legatur. Sed ad eum locum interpretes hanc quaestionem attingentes, itidem in numeralibus ordinalibus provocant ad haec verba [185]): „Tricesimo sexto anno a primis tribunis plebis, decem creati sunt." Factum hoc est C. Horatio Pulvillo II Q. Minutio Esquilino Augurino, coss. a. u. c. 297. Secessio locum habuit a. u. c. 260, quum primi tribuni pl. creati sunt. Si ratio igitur in ordinalibus, quam supra dixi, constat, annus hic esset tricesimus octavus, utroque termino addito. Et ita est. Livio enim numerum h. l. non constare, inde factum est, quod duorum annorum consules apud eum non recensentur [186]), nempe a. u. c. 264 en 265 [187]).

---

183) Cic. Phil. VI. 6. § 17.

184) Ad Liv. IV. 20. § 8. X. 31. § 10. XXX. 44. § 1, 2. XXXIII. 44. § 2. XLII. 10. § 5.

185) Liv. III. 30. § 7.

186) Sic omittuntur apud Livium consules a. u. c. 248, quorum tamen nomina quum inveniantur apud Cassiodorum, Livium religiose sequentem, negligentia scribarum apud Livium periisse videntur Niebuhrio R. G. I. p. 563. ed. 4ae.

187) Vide Fischer, Röm. Zeittaf. ad a. u. c. 297. et interpretes ad Liv. IV. 20. apud Drakenborchium.

In altero loco Livius haec habet: „Supersunt etiam nunc Samnitium bella, quae continuo per quartum iam volumen annumque sextum et quadragesimum a M. Valerio A. Cornelio coss., qui primi Samnio arma intulerunt, agimus". M. autem Valerius et A. Cornelius consules erant a. u. c. 411; annus, de quo Livius agit h. l., consules habuit Q. Fabium Maximum Rullianum V, P. Decium Murem IV. a. u. c. 459. Secundum rationem igitur demonstratam ponendus fuisset Livio annus nonus et quadragesimus; sed rationem non habuit annorum u. c. 430, 445, 453, qui ut ex fastis apparet sine consulibus fuerunt. Itaque etiam h. l. ratio constans est [188]).

In tertio loco Livii XXX. 44, ubi primum ex l. l. l. l. cardinalia occurrunt, haec leguntur: „Annis ante quadraginta pax cum Carthaginiensibus postremo facta erat, Q. Lutatio A. Manlio coss." i. e. a. u. c. 513—553. Porro „bellum initum annis post tribus et viginti" i. e. a. u. c. 513—536. Ex hoc loco igitur apparet, quod etiam perspicuum est ex Livii l. XXXIV. 1. coll. 8, in cardinalibus non numerari pro pleno utrumque annum, ex quo et ad quem. Pro eo quod mox sequitur „finitum est anno decimo septimo" (XVII) legendum est: „anno decimo octavo" (XVIII): tum ut hoc quoque loco idem observetur quod supra indicavi, tum ut Livius magistellorum vitio liberetur; nam quum
ad a. u. c. 539 scribat Livius [189]): „*circumacto tertio* anno belli Punici,"
ad a. 540 „*quinto* anno belli Punici II habeat" [190]);
ad a. 546 „*undecimo* anno Punici belli" [191]);
ad a. 548 „*tertio* decimo anno Punici belli" [192]);
ad a. 549 „*quarto* decimo anno Punici belli" [193]);

---

188) Fischer, op. l. ad a. u. c. 459 etiam in errorem inductus est, qui duos pro tribus annis numerans, quibus consules non fuerint, scribit Livium sibi constare; 411 enim + 36 + 2 efficere 459. Verum vidisset, si annum tertium quoque addidisset.

189) Liv. XXIII. 30.

190) Ibid. XXIV. 9.

191) Ibid. XXVII. 22.

192) Ibid. XXVIII. 10, 16.

193) Ibid. XXVIII. 38.

ad a. 551 „*sextus decimus* is annus belli Punici erat" [194]), fieri non potest; ut a. 553 ei sit *decimus septimus* belli Punici [195]).

Provocant Livii commentatores ad XXV. 15. § 19: „nobilem se consulatum tam opulentae urbis excidio rati facturos, simul et ingens flagitium imperio demturos, quod urbi tam propinquae tertium annum impunita defectio esset", quem locum corruptum esse nemo dubitabit, qui reputet, defectionem Capuae cadere in a. u. c. 538 coss. L. Aemilio Paullo, C. Terentio Varrone, post pugnam Cannensem, Liviumque ea quae laudavi scribere de App. Claudio Pulchro, Q. Fulvio Flacco III coss. a. u. c. 542; nam *tertium* annum dici posse ubi *quintus* esset dicendus, pro monstro est [196]). Aeque absurdum est quod enarratores illi passim posuerunt [197]), Livium solitum fuisse ita numerare ut solum, qui inter utrumque terminum continerentur annos poneret, mox, pro libitu, alterumutrum, mox utrumque additurus. Quodsi sic fecisset, de chronologia et de historia vereor ne actum esset.

In quarto loco a Madvigio laudato, pro: „ludosque magnos, qui *una* voti essent — faciendos" Drakenborch coniecit, V^io (quinquennio) respiciens annos 553 et 559, quam emendationem ita firmari voluit, ut non connumerarentur anni vel quo voti, vel quo facti ludi essent. Huius autem loci perperam correcti in hac re ratio haberi a nobis non potest, aeque minus verborum ex Livii l. XXXVIII. 52. § 7. licet ibi recte correctum sit: „ad quem ante annos septemdecim." Sat enim loci sunt non corrupti, quibus rem confici posse videatur.

Apud Livium XL. 52. § 4. „Voverat eam annis undecim ante L. Aemilius Regillus, navali proelio adversus praefectos regis Antiochi," quem cum aliis locis recte conspirare apparebit, si nu-

---

194) Liv. XXX. 1.

195) Liv. XXX. 44. 2.

196) Quod supra iam diximus de die *tertio* firmatur v. c. iis, quae leguntur apud Liv. XLIV. 3 f. 4. § 7. 5. § 11: „itaque quum alacres protinus duceret ad castra hostium consulem hortarentur; dies unus fessis labore viae ad quietem datus est; tertio die — consul ad hostem ducit."

197) Vide v. c. ad Liv. XLII. 10. § 5.

meros apposuero. Proelium enim illud commissum est a. u. c. 564 L. Scipione C. Laelio coss. [198]); censor Aemilius erat a. u. c. 575. Eodem hoc capite etiam recte legitur: „M. Aemilius petiit ab Senatu, ut sibi dedicationis templorum Reginae Iunonis et Dianae, quae bello Ligustino ante annis octo vovisset, pecunia ad ludos decerneretur." Aemilius enim consul fuit a. u. c. 567. Duo adhuc restant loci Liviani, nempe XXXIII. 44. § 2, XLII. 10. § 5. in quibus uterque terminus numero non comprehenditur; quibus tamen inaedificare illam doctrinam de Romanorum inconstantia in numeris significandis, satis periculosum esse videtur. Quum haec vero numeris, non litteris, scriberentur in codicibus, facillime fieri potuit, ut una lineola neglecta, pusilla omissione, illae lacrimae ortae sint. Ex iis, quae disputavi, apparet credo, Romanos in ordinalibus utrumque, in cardinalibus alterumutrum terminum, numero comprehendere solitos fuisse, nisi computandi errore aliter factum sit, vel eo consilio, ut, compendiaria ratione, numero usi sint, ut nos loquimur, rotundo, quod v. c. Cicero fecit in Philippica secunda [199]), quae habita fingitur a. d. XIII Kal. Oct. a. u. c. 710: „ut nemo his viginti annis reip. fuerit hostis" cett. quae sine dubio spectant a. u. c. 691.

Sed redeo ad Asconium, quem dixi in commemorando illo Scto, passum esse ut sibi imponeretur. Neque hoc unicum exemplum est, quod proferre possim in hominem doctissimum, licet Madvig eum omni culpa liberare voluisse videatur [200]), quem minime probabile sit in Cicerone deceptum esse [201]). Ut mittam tamen alia, de quibus Madvig disputavit, Asconius orationem de haruspicum responso [202]) laudat tanquam

198) Liv. XXXVIII. 29, 30.

199) Cic. Phil. II. 1. § 1.

200) Madvig, de Ascon. p. 68 sqq.

201) Ibid. p. 76.

202) Quod defendit Madvig, discrepantiam inscriptionum de haruspicum *responso* et *responsis*, non negligendam videri: declamatorem ex responso, responsa fecisse, ut plura dicere posset, non verisimile videtur. Quis enim in animum induceret, ut in re parvi momenti, quum genuina oratio exstaret, falsam supponeret, vel potius editae adderet, ad quam conflandam pannis et centonibus genuinae orationis, quae in hominum manibus esset, uteretur?

ad a. 551 „*sextus decimus* is annus belli Punici erat" [194]), fieri non potest; ut a. 553 ei sit *decimus septimus* belli Punici [195]).

Provocant Livii commentatores ad XXV. 15. § 19: „nobilem se consulatum tam opulentae urbis excidio rati facturos, simul et ingens flagitium imperio demturos, quod urbi tam propinquae tertium annum impunita defectio esset", quem locum corruptum esse nemo dubitabit, qui reputet, defectionem Capuae cadere in a. u. c. 538 coss. L. Aemilio Paullo, C. Terentio Varrone, post pugnam Cannensem, Liviumque ea quae laudavi scribere de App. Claudio Pulchro, Q. Fulvio Flacco III coss. a. u. c. 542; nam *tertium* annum dici posse ubi *quintus* esset dicendus, pro monstro est [196]). Aeque absurdum est quod enarratores illi passim posuerunt [197]), Livium solitum fuisse ita numerare ut solum, qui inter utrumque terminum continerentur annos poneret, mox, pro libitu, alterumutrum, mox utrumque additurus. Quodsi sic fecisset, de chronologia et de historia vereor ne actum esset.

In quarto loco a Madvigio laudato, pro: „ludosque magnos, qui *una* voti essent — faciendos" Drakenborch coniecit, V^io^ (quinquennio) respiciens annos 553 et 559, quam emendationem ita firmari voluit, ut non connumerarentur anni vel quo voti, vel quo facti ludi essent. Huius autem loci perperam correcti in hac re ratio haberi a nobis non potest, aeque minus verborum ex Livii l. XXXVIII. 52. § 7. licet ibi recte correctum sit: „ad quem ante annos septemdecim." Sat enim loci sunt non corrupti, quibus rem confici posse videatur.

Apud Livium XL. 52. § 4. „Voverat eam annis undecim ante L. Aemilius Regillus, navali proelio adversus praefectos regis Antiochi," quem cum aliis locis recte conspirare apparebit, si nu-

---

194) Liv. XXX. 1.

195) Liv. XXX. 44. 2.

196) Quod supra iam diximus de die *tertio* firmatur v. c. iis, quae leguntur apud Liv. XLIV. 3 f. 4. § 7. 5. § 11: „itaque quum alacres protinus duceret ad castra hostium consulem hortarentur; dies unus fessis labore viae ad quietem datus est; tertio die — consul ad hostem ducit."

197) Vide v. c. ad Liv. XLII. 10. § 5.

meros apposuero. Proelium enim illud commissum est a. u. c. 564 L. Scipione C. Laelio coss. [198]); censor Aemilius erat a. u. c. 575. Eodem hoc capite etiam recte legitur: „M. Aemilius petiit ab Senatu, ut sibi dedicationis templorum Reginae Iunonis et Dianae, quae bello Ligustino ante annis octo vovisset, pecunia ad ludos decerneretur." Aemilius enim consul fuit a. u. c. 567. Duo adhuc restant loci Liviani, nempe XXXIII. 44. § 2, XLII. 10. § 5. in quibus uterque terminus numero non comprehenditur; quibus tamen inaedificare illam doctrinam de Romanorum inconstantia in numeris significandis, satis periculosum esse videtur. Quum haec vero numeris, non litteris, scriberentur in codicibus, facillime fieri potuit, ut una lineola neglecta, pusilla omissione, illae lacrimae ortae sint. Ex iis, quae disputavi, apparet credo, Romanos in ordinalibus utrumque, in cardinalibus alterumutrum terminum, numero comprehendere solitos fuisse, nisi computandi errore aliter factum sit, vel eo consilio, ut, compendiaria ratione, numero usi sint, ut nos loquimur, rotundo, quod v. c. Cicero fecit in Philippica secunda [199]), quae habita fingitur a. d. XIII Kal. Oct. a. u. c. 710: „ut nemo his viginti annis reip. fuerit hostis" cett. quae sine dubio spectant a. u. c. 691.

Sed redeo ad Asconium, quem dixi in commemorando illo Scto, passum esse ut sibi imponeretur. Neque hoc unicum exemplum est, quod proferre possim in hominem doctissimum, licet Madvig eum omni culpa liberare voluisse videatur [200]), quem minime probabile sit in Cicerone deceptum esse [201]). Ut mittam tamen alia, de quibus Madvig disputavit, Asconius orationem de haruspicum responso [202]) laudat tanquam

198) Liv. XXXVIII. 29, 30.
199) Cic. Phil. II. 1. § 1.
200) Madvig, de Ascon. p. 68 sqq.
201) Ibid. p. 76.
202) Quod defendit Madvig, discrepantiam inscriptionum de haruspicum *responso* et *responsis*, non negligendam videri: declamatorem ex responso, responsa fecisse, ut plura dicere posset, non verisimile videtur. Quis enim in animum induceret, ut in re parvi momenti, quum genuina oratio exstaret, falsam supponeret, vel potius editae adderet, ad quam conflandam pannis et centonibus genuinae orationis, quae in hominum manibus esset, uteretur?

Ciceronis; sed praeterea vitia commisit, quae nescio quomodo, alios adhuc fugere videantur.

Nam, quum constet L. Torquati filium accusasse et damnasse P. Syllam, diserto Ciceronis testimonio [203]), Asconius tamen scribit, ad Cornelianam [204]): „P. Syllam et L. Autronium significat, quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus, qui cum haec Cicero dicebat consules erant, ambitus damnarant et in eorum locum creati erant." In accusatione alia de crimine ambitus errasse Asconium, quum de Q. Galli causa scriberet, antea demonstratum dedi [205]). Non est igitur quod dubitemus humani aliquid accidisse Asconio, qui, fortasse fretus epistolis Ciceronis ad Atticum tunc temporis iam editis [206]), egregium argumentum hoc loco praebet sententiae Marklandi, eum minus in criticis studiis fuisse versatum [207]).

Quod ad Quinctilianum attinet, qui saepius laudat primam orationem [208]), de eius auctoritate ni fallor, facilius hac in re iudicari poterit, quum unum alterumque locum apposuero, ubi de scriptis aperte falsis, tanquam genuinis, locutus est.

Asconii testimonio novimus, quae ferebantur C. Antonii et Catilinae orationes, quibus respondebatur Ciceronis orationi in toga candida habitae, conscriptas esse a Ciceronis obtrectatoribus [209]), quae orationes eiusmodi erant, ut Asconius scripserit se nescire an satius esset eas ignorare. Attamen Quinctilianus ex Antonii oratione hunc locum pro genuino profert [210]): „Sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens, neque competitorem vereor, qui sum Antonius, neque consulem spero,

---

203) Cic. de Fin. II. 19. § 62. Plura de hoc iudicio scripsi in Disputatione mea de ambitu et de sodaliciis, p. 104 sqq.

204) Asc. Ped. p. 74. Orell.

205) In disput. laud. p. 100 sqq.

206) Nepos, Att. 16.

207) In praef. ad IV. Oratt. Cicer. p. LXX sqq. Wolf. cf. Madv. op. I. p. 72.

208) Quinct. IV. 1. § 68. IX. 2. § 7. 26. 7. IX. 3. § 30, 44. VIII. 4. § 13. IX. 3. § 19, 46. VIII. 4. § 10. IX. 2. § 32, 45. IX. 3. § 62. IX. 2. § 32. IX. 3. § 71 et fortasse saepius.

209) Asc. Ped. p. 95. Orell.

210) Quinct. IX. 3. § 94.

qui sum Cicero." Haec qui exempli causa attulit, ut dicendi figuram indicaret, putabimusne locupletem testem authentiae nostrae orationis esse?

Epistolarum Ciceronis et Bruti *νοθείαν*, praeter C. Fr. Hermannum, omnes fere agnoscunt. Si Quinctiliano credas, genuinae sunt; certe ab eo saepius laudantur [211]. Non semel mentio fit apud eum [212] orationis invectivae, Sallustii nomine in Ciceronem, quam falsam esse, ait Markland, nunc omnes P. Victorio assentimur, haec addens: „Atque si praeclarus hic oratoriae artis magister sibi semel imponi passus est supposito libello, quid obstat, quominus *iterum* in talem fraudem inciderit" [213]. Oratio de *Haruspicum Responsis*, (igitur supposita ex Madvigii sententia), apud Quinctilianum laudatur Tullii nomine [214]; immo mentionem facit orationis Hortensii pro Verre [215], quum constet, ipsius Ciceronis testimonio, Hortensium sibi non respondisse [216], quamvis summus orator pro reo familiari diceret. De qua oratione Hortensii ex scholis rhetoris cuiusdam profecta, sic scribit: „quin etiam si minus pares videbuntur aliquae tamen ad cognoscendam litium quaestionem recte requirentur, ut contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Ligarium, et Hortensii pro Verre." Quod ipsum iudicium, Fabium ab Hortensio revocare potuerat et debuerat: eius igitur auctoritate ut retineamur, quominus falsam hanc orationem primam iudicemus, nulla causa est.

Pauca dicenda sunt de Senecae patris testimonio [217], cui si fides habenda est, vereor ut sententia mea cuiquam probabilis videri possit. Is enim scribit [218], Ciceronem filium dixisse, Hybreae disertissimi viri filio male apud se causam agenti [219], *ἀτίμων*

---

211) Quinct. I. 5. § 14. III. 8. § 42. VIII. 3. § 6, 34. 6. § 20. V. 10. § 9. Verba quae laudantur II. 20. § 10. in epistolis, quae nunc circumferuntur, non leguntur.

212) Quinct. IV. 1. § 68. IX. 3. § 89. XI. 1. § 24.

213) Markland in praef. ad IV Oratt. p. LXXV. Wolf.

214) Quinct. V. 11. § 42.

215) Quinct. X. 1. § 23.

216) Cic. Orat. 36. § 129.

217) M. Seneca Suas. lib. p. 57.

218) M. Seneca Suas. lib. 57.

219) Si unquam, haec causa acta est apud M. Ciceronem, quum Asiam obtinebat.

πατέρων· et quum in quadam postulatione Hybreas de paritate stultorum locum ad litteram, omnibus agnoscentibus, diceret: „Age, non putas me scripta didicisse patris mei: *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?*" Quasi unam sententiam pronuntiando probaret, se patris sui scripta didicisse, idque Asiae incolis iudicibus, quum praeterea Seneca dicat, naturam M. Tullio memoriam dempsisse, eamque, si quid ex ea supererat, subduci ebrietate. Tota haec narratio, addito praesertim initio primae Catilinariae, tam absurda et stulta est, ut plura ea de re hic addere supervacaneum esse videatur.

„Non tali auxilio, nec defensoribus istis,"

qui Ciceroni hanc orationem vindicare velint, utantur.

Aliorum omnium scriptorum, qui fragmenta orationis primae laudant, excutere testimonia, necesse non videtur. Paucis videndum est qui factum sit, ut, quum unusquisque hanc orationem legat, nemo fere de eius authentia dubitare adhuc ausus fuerit[220]). Cuius rei hae causae praecipuae adduci posse videntur: Quae orationes ferebantur in Catilinam, niti videbantur Ciceronis testimonio in Epistola I. l. II. Argumentum ex eo dicendi genere erat desumtum, et ita quidem tractatum, ut nemini ex rhetorum scholis, quae post Ciceronem mortuum quam maxime florebant, displiceret. Quod nullo testimonio magis confirmari posse credo, quam quod non solum Porcii Latronis declamatiuncula in Cati-

---

220) Morstadt, Schaffhausensis *γνησιότητα* huius orationis in dubium vocavit; cuius tamen disputationis pars prior (inest programmati Schaffhausensi a. 1844) copia mihi facta non est, in qua, ut comperi ex dissertatione Hanegraafii viri doct., (Zutphaniae 1846) p. 19 adn., eam damnavit propter repugnantiam Ciceronem inter et Sallustium. Qui vero vel leviter historiam illius temporis attigerit, statim videbit Sallustii auctoritate in historia eius coniurationis stari non posse, cui non in animo fuisse videtur ut historiam coniurationis Catilinariae, quam fieri posset accuratissime conscriberet, sed ut aequalium mores, civitatis conditionem, statum reip. illo tempore depingeret. Quum vero Sallustii testimonia cum auctoribus reliquis omnibus saepius pugnant, doct. Ottema conatus est ei succurrere transpositione capitum 27—31 in Prolus. Scholast. Gymn. Leov. *de loco Sallustii transpositione emendando*, adn. 230.

De fide historica Sallustii in coni. Catil. enarranda multa habet Hagen, qui contendit Sallustio res ita esse turbatas in enarratione, ut oratio quae legitur in c. 20 belli Catil. non habita sit a. u. c. 690 priore coniuratione, ut Sallustius scribit, sed a. u. c. 691 Cicerone consule p. 137 sqq. Catilina, Regimonti. 1854.

linam avide legebatur, sed quod etiam oratio Catilinae ferebatur, qua Ciceroni in Senatu respondisset, quamvis diserto Ciceronis testimonio [221]) constet, Catilinam in Senatu a se accusatum obmutuisse; quae verba, nescio quo errore, a Westermanno [222]) referuntur ad eum diem, quum Cicero orationem in toga candida habuit in C. Antonium et Catilinam: huic enim orationi Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem eius [223]). Quum Wolfio hanc orationem obtulit in vetere codice iuvenis Danus, primo cupido eum incessit eas nugas orationi Marcellianae addendi: sed taedium lectionis tantum fuit, ut id cum aliis communicare inhumanum putaret [224]). Eas nugas edidit, nulla ratione habita Durantini libelli, Chr. Schoettgenius Cruciani Dresdensis Rector [225]), qui eo inscitiae processit, ut eam orationem vel ab ipso Catilina habitam, vel nomine ipsius ab alio quodam, sed saeculo Ciceroniano, conscriptam putaret, 1.) quia stilus talis sit, ut aevum Ciceronianum sapiat, 2.) quia Asconius et Sallustius testentur, talem orationem a Catilina habitam fuisse, 3.) quia res, quas Asconius et Sallustius a Catilina prolatas esse scribant, hic observentur: candide tamen addit sibi perinde esse, sive stet, sive cadat haec oratio, si quis asserere velit, eam esse scriptam a viro docto, renascentibus litteris; se enim fecisse, quod potuisset, et in medium protulisse, quae ex antiquitate proferri potuissent.

Sed praeter duas eas orationes, de quibus dixi, alia etiam exstat Ciceronis, et alia Catilinae invectiva responsiva in Ciceronem. Has autem orationes, quas typis mandatas huic opusculo subiunxi, inveni in codice Ms., qui in Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae servatur, quas quum, quoad sciam, nemo

---

221) Cic. Orat. 36. § 129.

222) Pauly, Real Encycl. voc. *Sergia.* p. 1069 sq.

223) Asc. Ped. p. 95. Orell.

224) Fugiebat igitur summum virum, qui haec scripsit in praef. ad Marc. p. XXX. adn. *u*, eam orationem iam dudum esse editam a Constantio Felicio Durantino, in libro ad Leonem X Pont. Max. misso, de coniuratione Catilinae, quem librum Cortius editioni suae Sallustii subiunxit.

225) In analectis ex omni meliorum litterarum genere. Lips. 1725.

adhuc ediderit, operae pretium duxi cum lectoribus communicare. Orationum suppositarum Catilinariarum mentionem inveneram in diario Allgemeine Liter. Zeitung [226]), ubi describitur Catalogus Bibl. Lat. vet. et class. Ms. quae in regio Neapol. Museo Borbonico asservatur, ex qua descriptione haec apponere a proposito nostro non alienum esse videtur; — „Sectio III. Grössentheils Ciceronische Reden, meistens jedoch von neuerem Datum, darunter auch (Codex LXIV) eine „Oratio incerti et inepti declamatoris in Catilinam," ein bei Beurtheilung der Aechtheit Ciceronischer Reden bedeutsamer Wink; dazu gleich darauf noch ein Gegenstück „qua Catilina in Ciceronem invehitur;" ein anderes Machwerk desselben Inhalts enthält auch Codex CVI S. 79 und noch einige andere Handschriften." Videntur igitur in Museo Neapolitano plures Catilinariae adhuc ineditae servari. Easdem vero inveniri, quas ego nunc edidi, apparet ex iis, quae in Eischstädtii Programmate leguntur [227]). Prima enim oratio sic incipit: „*Non est amplius tempus otii P. C.; non est locus amplius pietatum* [228]) *in Italia.*" Alterius orationis, qua Catilina in Ciceronem invehitur, initium hoc est: „*Si subtiliter a circumstantibus, quae sit praesentis actionis controversia, quaeratur*" cett.

Orationes illae Catilinariae ex eo genere sunt, ut facile quis eas imitari possit: causa ipsa erat notissima, vel ex hoc, quod Cicero ubique de ea re loquitur. Ληκύθους illas, de flamma, de ferro, de nocturnis consiliis, varie pingere erat facillimum, et qui obiectiones contra dicendi genus defenderent, dicebant haec non tam anxie esse ponderanda et excutienda: Ciceronem enim, ex tempore dixisse: nescisse, Catilinam in Senatum venturum, similiaque: tamquam si ex tempore dicere, et orationem postea edere in publicum, eodem rediret.

226) Vol. IV. Ergänzungsbl. a. 1837, p. 101.

227) Specim. III. de Oratt. Catil. p. 15.

228) Sic scripsit Eischstädt, Iannellium Catalogi editorem, ut videtur, sequutus: „Plura enim Iannellius ex codd. suis de praesentis actionis controversia non dedit, recte sciens, omnium *impietatum* maximam esse, abuti tempore *otii* ad ea, quae negotiosis fastidium moveant." Quae non scripsisset ille, si recte ex codice pro: *pietatum*, suppeditatum esset: *praestantium*, quod quum per compendium ita scribatur ut aliquam similitudinem habeant haec vocabula, ridiculum peperit vitium.

Accedit, quod quotus quisque vel leviter attingit scriptores Latinos, semper fere legit orationem illam primam, ita ut cuique notissimum sit illud: „Quousque tandem" et saepe in ore. Nullae fere prodeunt orationes selectae Ciceronis, et sat multae in lucem eduntur, inter quas Catilinarias frustra requiras. Quas qui semel admirari coeperit, (sunt autem difficillimae quae vernaculo sermone reddantur; ita ut multo facilius sit eas admirari, quam intelligere), numquam de sententia dimoveas; et si vel hoc tibi concederet non esse Ciceronis, acriter tamen illud etiam teneret, primam orationem (nam ad secundam, tertiamve multi non perveniunt, ni fallor taedio lectionis), omnium esse pulcherrimam, licet suppositam. Neque si illos audias, negligenda sunt egregia ipsius antiquitatis testimonia de nostra oratione, Plinii et Auctoris dialogi de Oratoribus, quorum ille haec dicit de Tullii laudibus [229]): „Sed et quo te M. Tulli, piaculo taceam? quove maxime excellentem insigni praedicem? Quo potius, quam universi populi illius gentis amplissimo testimonio, et e tota vita tua consulatus, tantum *operibus electis?* Te dicente legem agrariam, hoc est, alimenta sua, abdicaverunt tribus; te suadente, Roscio theatralis legis auctori ignoverunt, notatasque se discrimine sedis, aequo animo tulerunt; te orante, proscriptorum liberos honores petere puduit; tuum Catilina fugit ingenium; tu M. Antonium proscripsisti."

Quae omnia nil nisi facta Ciceronis continent; de oratione in Catilinam ipsa ne verbum quidem habent.

Huius verba haec sunt [230]: „Nec Ciceronem magnum oratorem P. Quinctius defensus, aut Licinius Archias poeta faciunt; Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt." Ex quibus verbis non apparet auctorem unquam vidisse Catilinariam *primam:* (nam de ceteris in utroque loco, sermo ne potest quidem esse), hoc solum indicat, maiorem famam ex illis causis Ciceronem idcirco accepisse, quod omnia quum eo

229) Plin. H. N. VII. 31.
230) Auct. dial. de Oratt. c. 37.

tempore sibi opposita videret, tamen ita dixit, ut adversarios frangeret. Hic enim orator dici potest qui, defendente Hortensio, iudicante Senatu, Verrem condemnet, qui Catilinae furorem comprimat, Antonium hostem iudicet, qui Pompeio adversante (a. u. c. 702), quum is omnia fere posset in civitate, eam, quam nunc legimus, orationem pro Milone habuerit. Sic enim auctori dialogi de Oratoribus videbatur, Ciceronem, quam edidit orationem, etiam habuisse; quod secus esse supra indicavimus [231]). Ex hoc loco non apparet auctorem unquam ipsam orationem vidisse; nominat quatuor causas vel orationes, quas Cicero habuit, quaeque in omnium ore erant; de ipsis orationibus, quae inter sese conferri non possunt, ne verbum quidem hoc loco legitur.

Pauca dicenda sunt de die, quo Cicero orationem in Senatu, in praesentem Catilinam habuerit, qua de re non constare inter viros doctos, notum est, quum alii statuant [232]), Senatum esse habitum a. d. VII Id. Nov. (d. 7. m. Nov.), alii [233]) a. d. VI Id. Nov. (d. 8. m. Nov.). Quam quaestionem dirimere non adeo difficile videtur. Scilicet Cicero dicit coniuratos convenisse ad M. Laecam nocte ea, quae consecuta est posterum diem Nonas Novembres [234]), (i. e. ea nocte, quae est inter d. 6 et 7 Nov.); tum Catilinae diem exeundi esse constitutum; cupiebat enim ad exercitum proficisci, si prius Cicero oppressus esset, quod in se receperunt C. Cornelius et L. Vargunteius [235]), qui prima luce consulem salutatum veniebant, (igitur summo mane d. 7. Nov.), sed non introducti, quoniam Cicero, quid in animo haberent, ex Fulvia cognoverat, re infecta abierunt [236]). In haec omnia amice conspirant auctores omnes; de die, quo Senatus habitus est, nemo dubitaret, nisi obstare videretur personatus

---

231) Vide supra p. XVI.

232) Sic statuendum esse inter alios arbitratus est Madv. op. Acad. I. p. 195 sq.

233) Vide Ferrat. Ep. p. 307 sqq. Halm. Proleg. ad Catil. in ed. Lips. Oratt. Selectt. p. 12. adn. 55.

234) Cic. p. Sylla, 18. § 52.

235) Secundum Sall. Cat. 27, 28, qui utrumque nominat; ex Cic. orat. pro Sylla 18. § 52. certum est C. Cornelium hanc provinciam sibi depoposcisse.

236) Plut. Cic. 16.

Cicero, de nocte proxima et superiore, i. e. secundum Ferratium [237]), de duabus noctibus agens [238]). Sed primo illa testimonia ex Catilinariis, quae satius esset non attingere, inter se pugnant, ut supra iam dixi: nam in § 6 orationis secundae diserte indicatur, Senatum esse habitum eo ipso die qui consecutus est noctem eam, qua ad M. Laecam convenere coniurati, quod discrimen, cum Halmio [239]), imputare Ciceroni, postea haec scripto mandanti, absurdum est. Deinde Halmius alterum locum ex secunda oratione perperam explicare videtur; statuit enim in verbis: „quid, ut hesterno die, cum domi meae paene interfectus essem, Senatum in aedem Iovis Statoris convocavi", neminem id acturum, ut, *hesterno die* referat ad: *cum interfectus essem.* Quod ni fiat, haec dicit Cicero: (nam ab hoc etiam secundam orationem esse conscriptam, Halmio persuasum est), se convocasse Senatum, die 8. m. Nov., quod summo mane die 7. m. Nov. paene interfectus esset, non quod Reipublicae maxime interesset, ut Catilinae consilia cum patribus et cum populo Romano communicarentur. Quis haec unquam concoquet, Ciceronem, quum certior esset factus, ea nocte, quae erat inter d. 6 et 7 m. Nov., quid Catilina moliretur, et quae apud M. Laecam essent constituta, ea demum d. 8. m. Nov. ad Patres detulisse, perque omne illud, quod intercedebat, tempus tranquille domi mansisse: nam Senatum in aedem Iovis Statoris convocavit, proxime domum suam [240]), vitae suae timens, ut Antonius postea fecit in aedem Telluris Patres convocans [241]). Tertio, quis potest cogitari stultior quam ille summus orator scil., qui dicat, se omnia comperisse, quae Catilina duabus noctibus superioribus (proxima et superiore) egisset, quum non nisi de ea nocte, qua ad M. Laecam convenerunt coniurati, in oratione prima dicat?

Accedit alius testis, quem miror a nonnullis scriptoribus non

[237]) Ferrat. Ep. l. l.
[238]) In Catil. I. 1. § 1. coll. 4. § 8, 9. II. 3. § 6. 6. § 12.
[239]) In prol. laud. in fine p. 12.
[240]) Plut. Cic. 16.
[241]) Becker, Röm. Alterth. II. II. p. 414. adn. 1045.

adhiberi, nempe Asconius [242]), qui dicit, eum diem, quo Cicero orationem in Senatu habuit, esse decimum octavum, ex quo Sctum factum esset ut *consules viderent, ne quid detrimenti caperet Respublica.* Etenim, si more Romanorum computationem facimus [243]), inde a die 21. m. Oct. decimus octavus erit d. 7. m. Nov. [244]).

At Ahrens dicit [245]) Asconium esse lapsum; eum ex suo more dies numerasse ab eo die, ex quo Senatus consulibus rempublicam commisit, ad eum diem, quo habita est oratio; sin vero ex more Romanorum numeretur additoque die, quo Sctum de Catilina factum sit, tum eo die, quo Cicero Catilinam ex urbe eiecit, viginti dierum planissimam rationem apparere. Asconius id, quod postulat Ahrens, fecit, qui Asconium erroris arguens ipse fallitur. Videamus modo, quid rei sit.

a. d. XII Kal.	Nov. est d. m. Oct. 21.	
a. d. III Kal.	Nov. est d. m. Oct. 30 i. e.	dies decimus.
Kal.	Nov. igitur	dies duodecimus.
Non.	Nov.	dies decimus quartus.
a. d. VII Id.	Nov. qui est d. m. Nov. 7.	dies est decimus octavus.

Sic Asconius more Romanorum numeravit; sed alia ratio placuit Ahrensio, qui statuens Senatum esse habitum a. d. VI Id. Nov. (d. 8. m. Nov.), ita computationem facit [246]):

---

242) Asc. Ped. p. 6. Orelli.

243) Doct. Ottema, in Prolusione Scholast. Gymn. Leov. nuperrime edita: *de loco* SALLUSTII *transpositione emendando*, non solum morem Romanorum solemnem in computatione per numeralia ordinalia neglexit, verum etiam Asconiani loci nullam habuit rationem; scribit enim, Sctum factum esse, die 21. m. Oct.; *nam in oratione prima in Catilinam, quam habuit die sexto ante Idus Novembres* Cicero: „At nos vicesimum iam diem" cett. Quae die vicesimo post d. 21. m. Oct. facta sunt, necessario cadunt in d. 9. m. Nov.

244) Qui Asconium sequitur, Muretus tamen senatum habitum esse scribit a. d. VI Id. Nov., negligens certam, quam saepius dixi, regulam in computatione. M. Ant. Mureti op. ed. Ruhnk. II. p. 530, 545.

245) Ahrens, Orat. Quart. in Cat. p. 43 sq.

246) Quibus ut maiorem vim tribuat, haec addit: „Quid? nonne eodem modo nundinas componi solitas accepimus?" subiungens: Varr. de L. L. V. 3. Gell. N. A. II. 21. Festus voc. Quinquatrus: qui tres loci omnes de quinquatribus, idcirco dictis, *quod quinque ab Idibus dierum numerus sit*, cum nostra quaestione nil quidquam habent commune.

XII Kal. Nov.	12.
IV dies ante Nonas	4.
Non.	1.
a Non. ad ante VI Id. Nov.	3.
	20.

Facile hoc modo circumveniri potest, qui fidem in his caece alicui habere consueverit; at, re exposita, apparet nil veri his subesse posse. Scilicet, Kal. Nov. adnumeratis,

a die 21 m. Oct. erunt	12.	
iterum Non. Nov. adnumeratis, ab illis Kal. Nov. dies erunt	4.	
quibus si addideris diem posterum Non. Nov. et qui hunc sequitur, nempe ad d. VII Id. Nov.	2.	
idem habebis quod supra posui		18.
i. e. dies in mense Oct.	11.	
dies in mense Nov.	7.	
		18.

Error Ahrensii hic est, quod Kalendas vel Nonas Nov. bis numerat: si igitur sibi constitisset, et in utroque die id fecisset, dies vicesimus primus ei scribendus fuisset.

Multo magis a vero abhorrere videtur Morstadtii opinio, qui contendit fieri non posse, ut oratio in Senatu prius habita fuerit, quam d. 12 m. Novembris [247]).

Rationem, quam inii, ut ostenderem, orationem primam esse Cicerone indignam, haec est: conatus sum demonstrare, singulas orationis partes nequaquam inter sese cohaerere, immo saepius declamatorem sibi obloqui: sententias atque verba plurima, inveniri a Ciceronis usu abhorrentia, multa prave insulseque enuntiata, immo ne Latina quidem esse [248]).

Quum orationes Catilinariae, tum Madvigii, tum Halmii curis [249]), multo correctiores prodierint, secutus sum Madvigii

247) In Prog. II°. p. III et IV adn.

248) In illa parte multa iam attulit Morstadt, in quae partim iam antea incideram: de hac parte Morstadt nil conscripsit; maluit hanc aliis intactam relinquere. p. 44. Prog. IIi.

249) Vide Baiteri et Halmii proleg. (ad edit. 2am vol. IIi. p. 2ae. Opp. Cic.) p. VII.

recensionem alteram recognitam [250]), addita varia lectione Halmiana, ne mihi obiiceretur, quod de Wolfio scriptum est [251]), „quod maluerit Gruterianas sordes exagitare, tanquam declamatoris ineptias, quam adhibitis, quae parata erant, aliisque provisis subsidiis in emendata scriptura, certum ponere fundamentum."

---

250) Prodiit Hauniae MDCCCXLVIII.
251) In praef. laud. p. IX, verbis Madvigii in Op. Acad. I. p. 193 adn.

ORATIO

IN L. CATILINAM

PRIMA.

ARGUMENTUM.

L. Sergius Catilina, homo patricii generis, magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque, praetorius, qui iam a. u. c. 689 *caede consulum facta republica potiri voluerat, sed casu a consilio exsequendo prohibitus erat, adscitis ad consilium reipublicae opprimendae perditissimis et audacissimis hominibus, quos inopia, cupiditas, scelera stimulabant, consulatum in ann. u. c.* 691 *petiit; sed, non satis occultatis, quae parabantur, studiis bonorum M. Tullius Cicero cum C. Antonio consul factus est. Ea re accensus Catilina, Cicerone et Antonio coss., acrius consilia agitabat, resistente diligentia Ciceronis, ad quem pleraque a Fulvia deferebantur, muliere nobili, quae cum uno ex coniuratis, Q. Curio, amoris consuetudinem habebat. Itaque factum est senatus consultum,* darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet, *effectumque ut Catilina, quum in proximum annum iterum consulatum peteret, repulsam ferret, designarenturque consules D. Silanus et L. Murena. Catilina autem, missis iam antea per Italiam ad homines seditiosos, maxime veteres Syllae milites, concitandos sociis, ad C. Mallium, qui Faesulis in Etruria manum armatorum collegerat, profi-*

cisci constituit et bellum facere; convocatisque nocte, quae inter VIII *et* VII *Id. Nov.* (*d.* 6 *et* 7 *Nov.*) *erat, sociis in domum M. Porcii Laecae, consilium aperuit; simul eo hortante duo equites Rom. ex coniuratis Ciceronem se illa ipsa nocte ante lucem, quum sicut salutaturi intrassent, interfecturos esse polliciti sunt. Cicero, vitatis insidiis, eodem die ipso* (VII *Id. Nov., d.* 7 *Nov.*) *dispositis praesidiis, senatum* in templum Iovis Statoris *convocavit. Quo quum Catilina quasi sui purgandi causa venisset, Cicero in eum vehementissima oratione, quae est* prima in Catilinam *invectus est, qua Catilina perculsus et senatorum hostem atque parricidam appellantium vocibus, e senatu egressus et proxima nocte, relictis ad consilia in urbe exsequenda P. Lentulo, C. Cethego aliisque sociis, ad Mallium profectus est.*

ORATIO
IN L. CATILINAM
PRIMA,
HABITA IN SENATU.

I. 1. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?

ADNOTATIO.

Verissima sunt, quae Antonius Riccobonus scribit, (initio disceptationis quartae de consolatione edita sub nomine Ciceronis p. 75. Vicetiae 1584.) cum de incerta alicuius voluminis auctoritate disceptetur, tria inprimis exquiri solere: num, qui dicitur auctor, volumen ea, quae fertur inscriptione, conscripserit; num qui veteres scriptores eius sententias et verba recitaverint, ex quibus ipse auctor cognosci possit: num quid in eo haereat, quod ab ea persona, quae ipsum confecisse existimatur, alienum videatur. Nos alterum argumentum non attingemus; de tertio copiose exponemus, deque primo, quae habeo statim in initio ponam. Nam, ut mihi videtur, iam inscriptio ipsa falsarium prodit. Si enim Cicero unquam edidit Catilinarias, (quod non nisi de prima oratione constat) certe eas non inscripsit omnes: *orationes in Catilinam;* multo minus: *invectivarum libri quatuor;* vel *invectiones Tullii in Catilinam*, vel *libri in Catilinam;* quum, etiamsi coniunctim editae essent, tamen uno nomine difficile comprehendi possent, quod de personis et argumentis diversis essent conscriptae. Varias inscriptiones complures laudat Halm, (in ed. II[a] operum Tull. vol. II. p. 658 et in ed. Lipsiensi a. 1851. p. 13. adn. 56). Ipsum autem verbum *invectiva*, vel *invectio*, Ciceroni non in usu, grammaticis et declamatoribus erat notum; quodsi Cicero unquam iis verbis usus fuisset, certe sic inscripsisset orationem in toga candida, in qua oratione vehementissime invectus est in Catilinae Antoniique mores et vitam. Iam ipsi veteres inscriptioni multum tribuebant; nam de ea oratione, quae Caesaris ferebatur, quamque Augustus ab eo abiudicabat, haec addit Suetonius (Iul. Caes. 55); »nam in quibusdam exemplaribus invenio ne inscriptam quidem *pro Metello*, sed *quam scripsit Metello*."

quamdiu etiam furor iste tuus eludet [1])? quem ad finem sese

[1]) nos eludet?

Quae in capite 1 et 2 leguntur huc fere redeunt: Post nonnullas exclamationes, de furore Catilinae, senatus et consules accusantur, quod nihil contra Catilinam facere audeant; mox vero sequitur Senatui in ea re nihil esse imputandum; huius enim ordinis consilium et auctoritatem non deesse reipublicae, qui senatusconsulto consulibus rempublicam commiserit: igitur, aperte dicam, sic pergit orator, nos, consules desumus. Consules vero non deesse, statim post apparet, nam quod iampridem factum esse oportuit, et qua de re consules reprehenduntur, quod Catilinam nondum interfici iusserint, id Cicero *certa de causa* nondum adducitur ut faciat, et praeclare de Catilina actum est, qui non interficietur, quamdiu quisquam erit, qui eum defendere audeat. Interea vero Catilina ita vivet, ut vivit, multis Ciceronis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere se contra rempublicam possit; quod quo melius fieri possit, a consule paullo post iubetur ut ex urbe exeat!

Quousque tandem —— *audacia.* Qui initium hoc laudat, Quinctilianus IV. 1. § 68, paullo ante, nempe § 63 tale initium in universum carpit; quosdam in totum a prooemio summovere sermonem a persona iudicis aversum, quae ἀποστροφή dicitur, quod licet aliquando fieri bene possit, passim faciendum non est. Fac Catilinam uno vocabulo respondisse Ciceroni, et dixisse v. c. *cuiusnam patientia?* quod iure poterat, et actum fuisset de pulcherrimo illius orationis initio et de tota oratione, ut factum esse narrat Plinius Ep. VI. 15, quum Passienus, praesente Iavoleno Prisco Icto, recitaturus, inceperat haec dicere: *Prisce iubes?* ad quod Priscus: *Ego vero non iubeo.* »Cogita qui risus hominum, qui ioci." — *tandem.* Huius particulae haec vis est, ut in urgendo ponatur, i. e. quum iam alia dicta sunt; recte igitur Quinctilianus dixit (IX. 2. § 7): »Simplex est sic rogare:

sed vos, quid tandem? quibus aut venistis ab oris.

»figuratum autem, quoties non sciscitandi gratia assumitur, sed *instandi:* Quousque tandem abutere, Catilina" cett. Sed *tandem*, ea significatione non posse adhiberi in initio orationis, iam viderunt Donatus et Priscianus, quorum ille (ad Terent. Phorm. II. 1. 1.): »*tandem* hic expletiva coniunctio, ut Cicero: quousque tandem," cett.; sed ratio in loco Terentii longe alia est: ille (XV. 6. § 38): »*tandem* quoque non solum pro adverbio temporali, sed etiam pro coniunctione repletiva invenitur, ut Cicero I invectivarum: *quousque tandem*" cett. — *patientia nostra?* Cuiusnam? ut ex iis, quae proxime sequuntur: »quem nostrum ignorare arbitraris?" et: »Senatus haec intelligit" apparet, *nostra* refe-

effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non

---

rendum esse ad Senatores. Muretus adnotat (p. 532): »et senatus et consulum; sed consulum magis;" at de senatoribus sermonem esse non oportuit; nam illi remp. permiserunt consulibus. —— *eludet.* Madvig delevit *nos;* quo fit, ut *eludere* intransitive ponatur; eo sensu significat: sese iactare, quod tamen ut de furore dici possit, vereor; qui vero *eludere* eo sensu positum defendunt, provocant ad Cic. Orat. p. Milone 12. § 32, qui ipse locus eos erroris convincere poterat; legitur enim: »sed etiam ut iis consulibus praetor esset quibus, si non adiuvantibus, at certe conniventibus, certe speraret, se posse *eludere in illis suis cogitatis furoribus;*" si autem recte dicitur: aliquis eludit in furoribus suis, quomodo defendetur: furor eludit? Transitive significat; circumvenire, fallere, sed significatione, sive ludendi, sive astutiae, quod in furorem nequaquam cadit. — *audacia.* facilius erat, ni fallor, consuli, senatusconsulto illo munito, respondere his interrogationibus, quam Catilinae; nempe quamdiu ipsi consuli videbatur.

Nihilne te nocturnum praesidium Palatii —— *arbitraris.* Contra quam apud Ciceronem fieri solet, sensus perquam obscurus priori sententiae inest. Ad quod enim movendus erat Catilina? ex iis, quae praecedunt, putares oratorem velle, ut coniurationem missam faceret; ex tota oratione, ut urbem relinqueret. Quodsi hoc verum est, nihil illa verba significant: nam quomodo timor populi, vel munitissimus senatus habendi locus Catilinam moverent, ut in castra Malliana profisceretur? Sin illa contra ita accipienda sunt, ut coniurationem missam faciat, non video, quid sibi velit *moverunt;* tunc per praesens legendum est *movent*, ut in sequentibus *sentio, vides*, cett.; antea enim, non ausus est Senatus quidquam gravius in Catilinam decernere: »congemuit Senatus frequens, neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit; nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant, partim quia timebant." Cic. pro Mur. 25. § 51. — *ora vultusque.* Solet declamator saepissime duo vocabula, vel duas dictiones coniungere, quae eodem redeunt, quorum alterum eleganter abundat; apponam, exempli causa, ex capite I: *proxima, superiore; in senatum venit, fit consilii publici particeps; notat et designat; furorem, tela; vehemens, grave; consilium, auctoritas.* — *constrictum teneri* nil potest nisi vinculis, laqueis cett. vel tropice: iureiurando, religione,

sentis? Constrictam iam horum omnium conscientia [2]) teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? 2. O tempora! o mores! Senatus haec intelligit, consul videt, hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in Senatum venit; fit publici consilii parti-

[2]) scientia.

---

legibus, ratione, ut: obstringere religione Phil. II. 33 § 63. Quomodo vero coniuratio, quae inepte dicitur *tua*, ac si unius et non plurium esset, constricta dici potest, idcirco quod alii noverint coniurationem esse factam? Praeterea rem inaccurate exponit declamator, quum *horum omnium* scientia dicat coniurationem constrictam teneri; erant enim in senatu, qui cum Catilina apud M. Laecam convenerant, ut est in hac ipsa oratione § 8, 9; sic nimia *αὐξήσει* utitur in iis, quae paullo post leguntur: »Catilinam designare *unumquemque* Senatorum ad caedem. — *proxima, superiore;* hoc vitiosum esse, dixi in introductione p. XLVI sqq. — *egeris, fueris, convocaveris, ceperis.* Male haec ita ponuntur; scribendum fuisset: *fueris, convocaveris, egeris, ceperis.*

O tempora! O mores! — machinaris. Notissima est haec exclamatio, *o tempora o mores*, nostro loco inepte et insulse posita; Martialis, Ciceronem ea usum fuisse, sic indicat:

dixerat o mores, o tempora, Tullius olim
sacrilegum strueret cum Catilina nefas.

nec defuit tamen, qui locum aptum fuisse diceret huic exclamationi in Catilina perterrendo. Mosche in Seebodii Miscell. I. p. 223. — *Senatus haec intelligit, consul videt.* Verum dixisset si scripsisset: »consul *non* videt," nisi ad hunc locum referre malis Quinctiliani verba (X. 1. § 14): »nam et *intelligo*, et *sentio*, et *video* saepe idem valent quod *scio.* Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio, ut non solum quomodo *occurrent* (l. occurrunt) sed etiam quomodo oportet, utamur. Non semper enim haec inter se idem faciunt" cett. — *fit publici consilii particeps.* Consilium publicum est Senatus, qui dicitur: »publicum orbis terrae consilium" a Cicerone ad Fam. III. 8. § 4: »neque eram tam desipiens, ut privatae rei causa legari putarem, qui et tibi non privato, et pro re non privata sua, sed publica, non in privato, sed in publico orbis consilio, *id est in senatu*, ut gratias agerent mittebantur," in quo loco, bona cum gratia, vocc. »id est in Senatu" interpolatori restituenda sunt. Sic senatum, »summum consilium orbis terrae" dici, (Phil. VII. 7. § 20) monet Manutius ad l. l. ex epist. Consilii publici participem fieri, pro: in senatum venire, quod sciam apud Ciceronem non legitur; sed

ceps; notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem, viri fortes [3]), satisfacere reipublicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iampridem oportebat, in te conferri pestem istam [4]), quam tu in nos omnes [5]) iamdiu [6]) machinaris. 3. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. [7]) Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicae, privatus interfecit, Catilinam, orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp.

[3]) fortes viri. [4]) istam. omis. [5]) omnes. omis. [6]) [iamdiu]. [7]) Tiberium.

---

etiamsi dici posset, nihil significaret, quam illa, quae praecedunt; quae igitur huic periodo inesse videtur gradatio, omnino perit; immo additis: »*notat et designat oculis* (ultimum vocabulum melius omitteretur) *ad caedem unumquemque nostrum,*" absurda est: nam, ut hoc faceret Catilina, non opus erat in Senatum venire, quin etiam illam notationem tuto potuerat Catilina omittere si *unumquemque* i. e. *omnes senatores* ad caedem designare vellet. — *nos autem viri fortes* per ironiam dicuntur, ut *satisfacere* reip., quae ironia huic loco nequaquam convenit. — *ad mortem duci;* hoc fit in condemnatis, in addictis, in iis, quibus a magistratu manus iniecta est: Muretus l. l. p. 538: non potest igitur dici de eo, qui interficitur ex Scto: *videant consules* cett. — — *conferri pestem,* latinum non est; conferimus enim id, quod antea disiunctum vel separatum erat; pestem vero numquam.

An vero vir amplissimus —— *nos consules desumus.* — *vir amplissimus* ut Scipio, privatus, melius opponeretur consulibus, epitheton illud omittendum fuisset. Magis iterum personatus Cicero h. l. rem auget, quam quod defendi possit: Ti. Gracchum *mediocriter labefactasse* statum reip., (melius certe eo casu fuisset, ut Scipio caute manus a Graccho abstinuisset), Catilinam orbem terrae caede atque incendio *vastare cupere.* Catilinam enim templa, urbem, Italiam vastare esse conatum dicit Cicero v. c. in Orat. p. Flacco init. »quum vastitatem a templis, delubris, urbe, Italia depellebam:" eum vero orbem terrae caede atque incendiis vastare cupere stultum est. — *nimis antiqua.* Antiquus opponitur novo, vetus recenti: quae diu ante facta sunt, vetera dicuntur v. c.: »Cur igitur duo Scipiones, fortissimos et optimos viros, in Hispania Poenus oppressit? Cur Maximus extulit filium consularem? — Cur Africanum domestici parietes non texerunt? Sed haec *vetera* et

Maelium, novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave; non deest reipublicae consilium neque auctoritas huius ordinis; nos, nos, dico aperte, consules desumus. II. 4. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul vide-

---

alia permulta; propriora videamus." (Cic. de N. D. III. 32. § 80); nec est, quod ea de Ahala dicat *nimis antiqua;* porro si aliis locis Cicero de Ahala mentionem facit, numquam dicit, eum *rebus novis* studuisse, sed *regnum* eum *appetisse.* Phil. II. 44. § 114. de Senect. 16. § 56. Cf. Liv. Ep. 4. *regnum affectans.* Ipsa dictio *novis rebus studere* Ciceroni non est in usu, apud quem semel legitur: »iniquis imperiis rempublicam miscere, et *rerum novarum aliquam causam quaerere.*" de leg. agr. II. 33. § 91. — *acrioribus suppliciis.* Supplicio afficere, summum supplicium sumere, supplicium constituere in aliquem, similibus dictionibus semper supplicium indicat *necem,* supplicia contra, significant cruciatus, qui perferuntur, non ipsam necem. Cic. de Off. III. 27. § 100. *acriora supplicia* de iis civibus seditiosis, qui statim interficiebantur, ineptum est. — *coercere* possumus cives, etiam socios, (Sall. Bell. Cat. 29) qui non in officio sunt, legibus, poena cett., at hostis non coercetur, sed vincitur vel superatur. — *habemus Sctum in te, Catilina;* hoc falsissimum est; nam Senatusconsulti verba solemnia nota sunt, quibus, quid concederetur consulibus, legitur apud Sall. Bell. Catil. 29; de Catilina in eo Scto, ne verbum quidem scriptum erat: in universum respublica tali Scto consulibus permittebatur; in quemdam civem nominatim tale quid decernere, vetitum erat legibus XII tabb., quibus cautum: »privilegia ne irroganto;" quum igitur in universum potestas dabatur consules, poterant, quod sibi videretur facere reip. causa, et recte igitur dicitur illud Sctum *grave; vehemens* contra perperam, praesertim in eo casu, quo omnino potestate sibi concessa consules non utuntur.

Decrevit quondam senatus —— *remorata est.* Initium huius capitis conflatum est ex Cic. Phil. VIII. 4. § 14, 15. ut ex sequentibus apparebit. — *decrevit quondam.* Sctum illud factum est a. u. c. 633 coss. L. Opimio Q. Fabio Aemiliano: voc. *quondam* igitur huic loco non convenit; usurpatur enim de remotissimo tempore (v. c. apud Cic. de Imp. Cn. Pomp. 9. § 22. »ut ex Ponto Medea illa *quondam* profugisse dicitur") vel saltem de tempore incerto ut est in oratione pro Archia poëta 3. § 4: »primum Antiochiae (nam ibi natus est loco nobili) celebri *quondam* urbe — antecellere omnibus ingenii gloria contigit," ubi post *quondam*

ret, ne quid respublica detrimenti caperet; nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. [8]) Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus; occisus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatusconsulto

[8]) Gaium.

---

inserenda est praepositio *in;* nam appositio genitivi *Antiochiae* nude in ablativo poni non potest. — *ut L. Opimius consul videret.* Recte solus Opimius nominatur, Cic. Phil. VIII. 4. § 14: »*Quod L. Opimius consul verba fecit de republica* D. E. R. I. C. UTI L. OPIMIUS CONSUL REMPUBLICAM DEFENDERET:" App. B. C. I. 25. f. Alter enim consul non erat Romae, quamvis vulgo utrique consuli ea potestas, saepe etiam cum aliis magistratibus tradebatur. Cic. p. Rab. perd. reo 7. § 20. (collato tamen Cic. Phil. VIII. 2. § 15) Asc. Ped. ad Milon. p. 35, »factum erat Sctum, ut interrex et tribuni plebis et Cn. Pompeius, qui pro consule ad urbem erat, viderent, ne quid detrimenti respublica caperet," ubi corrigendum: ne quid respublica detrimenti caperet. cf. Asc. p. Orell. 6. Caes. de B. C. I. 5. »dent operam consules, praetores, tribuni plebis, quique consulares sunt ad urbem ne quid respublica detrimenti capiat." — *quasdam seditionum suspiciones.* »Artificiosa extenuatio; non enim erant suspiciones: sed plane seditiones, et quidem turbulentissimae" Muretus p. 540; »ad illud Sctum enim numquam discessum est nisi in ipso urbis incendio, atque in desperatione omnium salutis." Caes. de B. C. I. 1. — *occisus est cum liberis.* Male hoc ita dicitur; liberorum nomine enim non solum filii sed etiam filiae, immo et nepotes et pronepotes continentur: occisi autem sunt duo filii adolescentuli Cn. Phil. VIII. 4. § 14: maior pugnans, minor qui legatus erat missus ad Opimium, ad ianuam carceris. Vell. Pat. II. 7. § 2. cf. App. B. C. I. 26. — *simili senatusconsulto.* Historiam consulatus Marii et Valerii multi attigerunt, quorum tamen nemo memorat Sctum illud, quo permissa est respublica consulibus, quod a Senatu datum esse Mario non verisimile est. Vell. Pat. II. 12 f. App. B. C. I. 32. Liv. Ep. 69. Plut. Mar. 30. Cic. pro Rab. perd. reo 7. § 20. apud quem ipsum Sctum legitur: »*ut C. Marius L. Valerius consules adhiberent tribunos pl. et praetores, quos iis videretur, operamque darent ut imperium populi Romani maiestasque conservaretur.* Adhibent omnes tribunos pl. praeter Saturninum, praetores praeter Glauciam: qui rempublicam salvam esse vellent arma capere et se sequi iubent." Tale quid consules non edicebant quum Scto illo resp. iis erat permissa, saepius vero locum habebat quum aliquis hostis erat iudicatus, ut de Saturnino tradit Appianus l. l. vel in tumultu, v. c. quum C. Cornelius coëgit consulem mittere vocem illam extremi ac difficillimi temporis: »qui rem [publicam] salvam esse

C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa respublica; num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis et C. Servilium praetorem mors ac reipublicae poena remorata est? At vero [9]) nos vicesimum iam diem patimur hebescere

[9]) vero. omis.

---

vellent, ut ad legem accipiendam adessent." Cic. ap. Asc. Ped. p. Orell. 75. — *num unum diem postea.* Ultimum vocabulum inepte additur. — *tribunum pl.* — *praetorem.* Honores, qui in Ti. et C. Gracchis omissi erant, neque hoc loco ponendi fuissent, neque a personato Cicerone essent additi si ei defuissent Ciceronis verba ex Phil. VIII. 5. § 15: »L. Saturninus trib. pl. C. Glaucia praetor est interfectus." — *mors ac reipublicae poena;* prius vocabulum huic loco non convenit; requiritur enim ut orator dicat eos fuisse interfectos; neque possum acquiescere in Halmii explicatione scribentis vocc. *ac reip. poena* hic nominatim esse addita ut indicaretur ea poena, qua respublica eos afficiebat (in ed. Lips. p. 26). — *remorata est.* Remorari significat fere idem quod retardare; ut est v. c. apud Cic. de Imp. Cn. Pomp. 14. § 40: »sed eae res, quae ceteros remorari solent, (Cn. Pompeium) non retardarunt." Idem etiam Halmio visum est, cuius explicationem non possum non adscribere, ut appareat luce clarius, quid Ciceroni etiam ab iis obtrudatur, qui in eo auctore interpretando vitae tabernaculum ponere videntur. »Der Ausdruck beruht auf dem Gedanken, das jene Frevler schon längst den Tod gewärtigen mussten der sie mit seinem Erscheinen auch nicht länger hinhielt, als bis das Senatsconsult erfolgte." Talia a summo scilicet oratore dicta esse quis serio defendet? porro absurdum est dicere mortem eum remorari, qui sero interficitur.

At nos vicesimum iam diem —— *condemno.* In numeratione h. l. lapsum esse rhetorem, demonstratum dedi in introductione p. XLVI sqq.: videamus etiam quid his verbis contineatur. Primo haec comparantur: aciem auctoritatis hebescere, cum iis, quae de Saturnino leguntur, eum statim esse interfectum; in quibus *acies auctoritatis* absurdum est, acies enim oculorum, mentis cett. dici potest, et recte dicitur, non autem acies auctoritatis: porro illo Scto, quod etiam § 3 f. prave dicitur auctoritas, consulibus permissa erat reip., cuius Scti vis, si in praesens, *certa de causa*, eo non utebantur consules, tamen non minuebatur; nam etiam post vicesimum diem licuit consulibus vel Ciceroni, (nam inde a verbis *cupio — me esse clementem,* de solo Tullio sermo est, quum in superioribus semper *consules* nominentur) si opus videretur, ex eo Scto, in quem videbatur animadvertere. — *hebescere aciem* »quasi de gladio." Muret. p. 542; at ea metaphora non procedit; nam gladius

aciem horum auctoritatis. Habemus enim huiusmodi [10]) senatusconsultum, verumtamen [11]) inclusum in tabulis, tanquam in vagina reconditum, quo ex senatusconsulto confestim interfectum te esse [12]), Catilina convenit. Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem; cupio in tantis reip. periculis me non dissolutum videri; sed iam me ipsum [13]) inertiae nequitiaeque condemno. 5. Castra sunt in Italia contra rempublicam [14]) in Etruriae faucibus collocata, crescit in dies singulos

[10]) huiusce modi. [11]) tamen. omis. [12]) te interfectum esse. [13]) ipse. [14]) populum Romanum.

---

in vagina reconditus non hebescit. — *inclusum in tabulis.* Ut haec aliquid significare possint, necesse fuit ut tabulae aperirentur, quum eo Scto consules essent usuri. Inelegans et subinepta est porro ea comparatio, Sctum illud in vagina esse reconditum: et quomodo Sctum illud includi poterat? neque Catilina erat ex eo Scto interficiendus. Ut supra enim dixi, nemo in Scto nominatim indicabatur, consulum erat videre quid faciendum esset. — *convenit*, sive per praesens, sive per perfectum dictum putes, vitiosum est: requiritur enim imperfectum; sed neque hoc modo res procedere potest: recte Muretus iam ad hunc locum adnotavit p. 542: »quaeram ecquis unquam, qui aliquem modo Latinae linguae sensum haberet ita locutus fuerit ut diceret, *convenit statim id fecisse*, pro eo quod est, statim id fecisse oportuit." — *dissolutum.* Huius vocabulo vim orator non assequutus esse videtur: dissolutus enim opponitur *vehementi* v. c. apud Cic. II. v. 40. § 105. vel *crudeli* ibid. 3. § 7. »maluisse Domitium *crudelem* in animadvertendo, quam in praetermittendo *dissolutum* videri;" iam vero *non dissolutus* est severus: igitur duae sententiae, quae idem fere significare debebant, e regione sibi opponuntur.

Castra sunt in Italia —— speculabuntur atque custodient. — *in Etruriae faucibus.* Fauces solent dici ii loci angustiores per quos aditus est in locum apertum; sic v. c. sermo est de faucibus angustissimis Ciliciae; et Corinthus dicitur posita in angustiis et faucibus Graeciae sic, ut terra claustra locorum teneret et duo maria maxime navigationi diversa paene coniungeret, apud Cic. de lege Agr. II. 32. § 87. Hoc de Faesulis dici non potest; nam antequam pugnam commisit Catilina, quum nuntii ad eum venissent Romae coniurationem esse patefactam, et quum multi milites signa relinquerent, conatus est per agrum Pistoriensem, qui a septentrione est agri Faesulani, in Galliam Transalpinam fugere.

hostium numerus, eorum autem imperatorem castrorum [15]) ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus, intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicae molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me, quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iampridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor, ut faciam. Tum denique interficiere, quum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse

[15]) castrorum imperatorem.

— *intra moenia* — *videtis intestinam aliquam quotidie perniciem molientem.* Graviter in his verbis lapsus est rhetor; nam reipublicae perniciem Catilina etiam moliri poterat extra urbem; quum enim in castris erat apud Faesulas aeque perniciem intestinam moliebatur. — *credo* Ironice hoc loco ponitur, at contra constantem Ciceronis usum, semper enim praemissis uno vel pluribus vocabulis, numquam in initio sententiae legitur: vide v. c. Cic. de Prov. cons. 12. § 29: »nam ipse Caesar quid est cur in provincia commorari velit nisi ut ea, quae per eum affecta sunt perfecta reipublicae tradat? Amoenitas eum, credo, locorum, urbium pulchritudo — retinet;" in quibus verbis pro: »perfecta R. P. tradat" legendum est: »perfecta P. R. tradat," quod vitium etiam haesit apud eos, qui hunc locum perscripserunt, Gell. XV. 5. § 7. et Non. Marc. p. 110. Ed. Gerlach et Roth., nam ut mox sequitur: a populo missus erat Caesar. — *ne non* — *quisquam crudelius factum esse dicat;* quomodo haec conciliari possunt iis, quae leguntur § 30: »quorum auctoritatem secuti *multi* non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, *crudeliter et regie factum esse dicerent.*"? — *certa de causa;* quam praetexuit causam copiose exponit cap. 12: omnibus nondum esse persuasum Catilinam coniurationem fecisse; id demum omnibus luce clarius futurum si Catilina in Malliana castra pervenisset; qua in re rhetor sibi ipse tamen non constat; nam c. 5. § 12. haec scripsit: »Quare quoniam id, quod est primum et quod huius imperii disciplinaeque maiorum proprium, *facere nondum audeo*, faciam id, quod est ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius." — *tum denique interficiere* cett. Tutus igitur sibi videri poterat Catilina; nam diu poterat Cicero exspectare donec eo perventum esset, ut iam nemo tam improbus esset, quin iure Catilinam interfectum esse fateretur.

fateatur. 6. Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives, sed [16]) vives ita, ut vivis, multis meis et firmis praesidiis oppressus [17]), ne commovere te contra rempublicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

16) et vives ita. 17) obsessus.

— *vives sed vives ut vivis.* Inelegans repetitio. Pro eo quod codd. et edd. habent: *et vives* Madvig dedit: *sed vives.* »*Vives et vives* sic dicitur quasi adscendat oratio in eadem sententia augeaturque beneficium." Repono: »*vives sed vives* ita dicitur ut contrarium obtinet, igitur ut beneficium minuatur. Sed in Catilina nil mutabatur:" *te — sicut adhuc fecerunt — custodient.* — *praesidiis obsessus.* Ut saepius, h. l. quoque rhetor dormitavit: nescire videtur quid sint *praesidia*, quod voc. semper ita ponitur ut eos indicet, qui hoc agunt, ut aliquem defendant, custodiant: nemo unquam opprimitur vel obsidetur praesidiis, ne commovere se possit contra aliquem; hoc enim praesidia efficere non possunt, sed ut contra aliorum iniurias et vim aliquis defendatur. — Catilina obsessus illis praesidiis Ciceronis ita vivet *ut vivit*, ne contra rempublicam movere se possit: quod sine dubio subridiculum est; illis enim praesidiis obsessus Catilina omnia ad incendium, ad vastationem comparaverat, descriptio totam per urbem caedis atque incendiorum ab eo constituta erat quum ad M. Laecam superiore nocte convenerant coniurati: haec omnia igitur praesidiis illis obsessus Catilina efficere potuit, quod qui facere potuit ita vixit per Ciceronem, ut commovere se contra remp. non posset. — *commovere te contra rempublicam;* nova loquendi forma, Romanis saltem inaudita. Commovere nempe nos possumus contra eum, qui nos exercet, qui vim nobis inferre conatur, quod certe non cadit in rempublicam, cuius est omnes defendere. Latinum est: suscipere aliquid contra rempublicam, ut est apud Cic. p. Rab. perd. reo 12. § 35. — *multorum te etiam;* »voc. *etiam* adiicit ei, quod dictum aut cogitatum est, aliud quid." (Handii Turs. II. p. 547); significat igitur *praeterea*, augetque quod in superioribus dictum est: at h. l. nil indicat quod in praecedentibus non est enuntiatum. Praesidia enim Ciceronis quibus Catilina erat obsessus, non erant homines armati, nisi eo die quum Cicero, insigni illa lorica in campum descenderat, p. Mur. 26. § 52, sed indices et id genus hominum, qui Catilinae consilia explorare studebant, igitur iidem, qui eum speculabantur et custodiebant non sentientem, ut etiam additur: »sicut adhuc fecerunt." Quod subiungit rhetor: *multorum aures te — speculabuntur et custodient*, de oculis recte dicitur, de auribus contra stultius est, quam ut verbum de ea re addendum esse videatur.

III. Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios nec pri-

---

In sequentibus exponit Pseudo-Cicero quid egerit Catilina, quibus appareat illius consilia sibi patere. — Quodsi paullo accuratius attendimus ad finem c. 4., luce clarius videbimus rem non esse nobis cum Cicerone, sed cum ineptissimo declamatore. Scil. nocte coniurati convenerunt apud Laecam; duo equites polliciti sunt se interfecturos Ciceronem *illa ipsa nocte*, paulo ante lucem. Delata haec sunt ad consulem, cui satis temporis fuisse videtur, ut ea ipsa nocte domum non solum maioribus praesidiis muniret et firmaret, (ut duorum equitum in se impetum posset reprimere), sed etiam ut multos et summos viros e lectis ad se arcesseret. Quibus omnibus peractis venerunt duo equites, qui ab illis praesidiis non capti sunt, nequaquam; exclusi eos, dicit orator: sat enim consul videbatur, multis et summis illis viris, istos homines indicare e domo sua, ad se interficiendum venientes, eo ipso, quo praedixerat tempore. Talia, qui confingit omnium nimirum admiratione dignus est.

Magis vero se implicat orator in iis, quae statim sequuntur c. 5. Dicit enim: »quae quum ita sint, Catilina, perge quo coepisti, egredere aliquando ex urbe; patent portae; proficiscere." Fugiebat autem bonum virum se, antequam narrasset Catilinae consilia sibi esse nota, dixisse in fine c. 2: »vives multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rempublicam possis." Quod autem, quo melius fieri possit, iubet eum urbe exire, in Malliana castra se conferre, ut ibi in exercitu suo imperator a Ciceronis praesidiis ita obsideatur, ut contra rempublicam commovere se non possit! Et cur illud iubetur Catilina? *Ut magno metu liberet Ciceronem*, eum, qui omni modo se coërcere Catilinam posse paullo ante significaverat! Educ, haec addit fortissimus consul, educ tecum etiam omnes tuos: si tu exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipublicae § 12. f. Hanc autem causam praetendit cur Catilinam interficere non audeat, nam si te interfecero, residebit in republica reliqua coniuratorum manus." At Catilinam non educturum omnes suos optime sciebat orator; dixit enim § 9, delectos esse quos Romae relinqueret Catilina, quosque secum educeret. Apparet igitur eam causam esse falsam et rhetorem denuo sibi obloqui.

Etenim quid est —— licet recognoscas. — *etenim.* Perperam hoc vocabulum hic usurpatur; nam quae sequuntur conclusionem continent eorum, quae praecedunt; scribendum idcirco fuisset: *igitur*, vel simile quid. Non probanda autem videtur eorum defensio, qui dicant *etenim*

vata domus parietibus continere voces coniurationis tuae [18]) potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem, mihi crede, obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia; quae iam mecum licet recognoscas. 7. Meministine, me ante diem XII Kalendas Novembris dicere in Senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI Kal. Novembres, C. Mallium, audaciae satellitem atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu, caedem te optimatium contulisse in ante diem V Kalendas Novembres, tum quum multi principes civitatis Roma non tam sui con-

18) [tuae].

---

esse h. l.: *et quum res ita sit, quaero* Handii Tursell. p. 543. vol. II. Exempla, quae ibidem laudantur ex Cic. Disp. Tusc. IV. 17. § 40. V. 17. § 48. de N. D. I. 27. § 77. contrarium eius, quod Handius voluit, probare videntur, neque locus ex Cic. Divin. II. 69. § 142. eam significationem admittere videtur. — *continere voces. Vocem continere* significat: silere, tacere, ut est apud Cic. pro Rab. perd. reo 6. § 18. quod de homine recte legitur, sed de domo dici non potest. Continere dicitur de eo, quod aliquid potest capere, quod capax est. At omnis domus potest quascunque voces i. e. clamores (Cic. Phil. II. 41. § 105.) continere. — *obliviscere caedis.* At non obliviscimur nisi praeterita; non usurpatur hoc voc. de futuris, vel de omittendis iis, quae facere in animo habemus. — *licet recognoscas,* ac si Catilina illam recognitionem postulasset.

Meministine ——— *sed etiam videam planeque sentiam.* — *fore in armis C. Mallium.* Improprie hoc dicitur pro eo, quod vult orator: C. Mallium in castris futurum, exercitum habiturum; nam »in iisdem armis esse" signif.: ab iisdem partibus stare, in eodem exercitu esse. Cic. pro Lig. 3. § 9. — *num me fefellit,* — *non modo res tanta, tam atrox,* cett. His verbis igitur indicat non esse admirandum rem atrocem, incredibilem se non latere; quodsi res ipsa ei indicata erat, etiam facili negotio de die certior fieri poterat: multo magis mirandum erat rem ipsam ad Ciceronis notitiam iam diu ante pervenisse, quam ei, re ipsa cognita, diem quoque fuisse indicatum. — *ante diem V Kal. Nov.* Hic dies fuit comitiorum con-

servandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes te illo ipso die, meis praesidiis, mea diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse, quum tu, discessu ceterorum, nostra tamen, qui remansissemus, caede contentum te esse dicebas? 8. Quid? quum tu [19]) te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo iussu meis praesidiis, custodiis vigiliisque [20]) esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quin [21]) ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam. IV. Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem; iam intelliges, multo me vigilare acrius

19) tu. omis. 20) vigiliis. 21) quod.

---

sulibus creandis, quo die principes civitatis Roma profugisse non est verisimile; praesertim cum de ea re apud ceteros scriptores altum sit silentium. Neque nominatim ante diem V Kal. Nov. a Cicerone fuisse indicatum dicit Halmius (in ed. Lips. p. 28), sed in eum diem, quo comitia haberentur, caedem optimatum fuisse dilatam. — *tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt.* Plura in his animadvertenda sunt. Primum ingrata illa repetitio terminationis in *orum;* deinde rem nonnisi ex hoc loco esse notam; tertio, nova illa ratio ab optimatibus excogitata ut alicuius consilia *profugiendo reprimerent!* quarto quod consilia non reprimuntur: hoc autem recte dicitur de vi, impetu: sed consilia irrita fiunt, impediuntur. — *meis praesidiis, mea diligentia circumclusum.* Circumcludere Ciceroni non est in usu, qui eo sensu usurpat *includere:* praesidiis Ciceronis non includi Catilinam dixi supra; multo minus diligentia Ciceronis circumcludi poterat. — *commovere te contra rempublicam non potuisse* vide ad § 6. — *caede te contentum esse dicebas.* Pro *dicebas* necessario requiritur *diceres.* (Madv. Gram. Lat. § 383. adn. 4. 2ae); porro Catilina haec dixit, (si unquam dixit), antequam caedes facta erat: igitur non *contentus sum* sed: *contentus ero:* igitur non dicendum esset: *cum dicebas te contentum esse,* sed: *cum diceres contentum te fore.* — *te Praeneste occupaturum.* De ea re nil apud ceteros auctores inveni. — *meo iussu.* Ut supra *mea diligentia,* sic h. l. *meo iussu* supervacaneum est.

Recognosce tandem —— *in qua urbe vivimus?* — *tandem* inepte h. l. ponitur pro *denique;* diu iam erat occupatus in recognitione illa, cuius ad finem pervenit mentione illius noctis apud Laecam. — *noctem illam*

ad salutem quam te ad perniciem reipublicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Laecae domum; convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? Quid taces? Convincam, si negas; vido enim hic [22]) in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt. 9. O dii [23]) immortales! ubinam gentium sumus? quam rempublicam habemus? in qua urbe vivimus [24])? Hic, hic sunt, nostro in numero [25]), patres conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro omnium interitu, qui de huius urbis atque adeo orbis [26]) terrarum exitio cogitent. Hosce [27]) ego video consul [28]) et de republica sententiam rogo, et quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina; distribuisti partes Italiae: statuisti, quo quemque proficisci placeret; delegisti, quos

22) esse hic. 23) di. 24) in qua urbe vivimus? quam remp. habemus. 25) in nostro numero. 26) de orbis. 27) hos. 28) [consul].

---

superiorem. Haec verba ansam praebuerunt multis interpretibus ut orationem habitam esse contenderent a d. VI. Id. Nov. (8 Nov.). Sic enim argumentantur: si Senatus habitus esset a. d. VII. Id. Nov., non poterat ea nox, quae hunc diem antecessit, dici *illa* nox superior: praeterea orator dixit § 1. se scire quid Catilina *proxima*, quid *superiore* nocte egisset. — Hanc opinionem, ut mihi blandior, satis refelli in Introductione tum ex Asconio, tum aliis argumentis. Cur vero Cicero quasi de duabus scil. noctibus loquutus esset non nisi de una exponat, sic explicatur ab Halmio: »von der *nox proxima* (s. § 1) sagt der Redner nichts, ohne Zweifel, weil er darüber nichts besonders zu sagen wusste, sondern oben blosser Vermuthung gefolgt war, dass Catilina auch in dieser nicht unthätig geblieben sei" (sic). Verba: *illam noctem* huc pedem intulerunt ex Cic. Orat. p. Sylla 18. § 52: »Quid tandem de *illa nocte* dicit, cum inter falcarios ad M. Laecam — convenit." Totum nempe cap. 4 conflatum est ex oratione laudata. — *agam* verbum usitatum in foro: Cic. de Imp. Cn. Pomp. 1. § 1; scribendum fuisset *dicam.* Sic *infitiari* legitur § 7, ubi *negare* dicendum erat.

Hic, hic sunt ——— venturos esse praedixeram. — *sanctissimo consilio,* de senatu non dicitur: loco quidem, ubi senatus habetur, tale epitheton conveniret. — *urbis atque adeo orbis.* Amat declamator hoc genus

Romae relinqueres, quos tecum educeres; descripsisti urbis partes ad incendia; confirmasti, te ipsum iam esse exiturum; dixisti paululum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa nocte paullo ante lucem me in meo lectulo interfecturos esse [29]) pollicerentur. 10. Haec ego omnia, vixdum etiam coetu vestro dimisso, comperi; domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi; exclusi eos, quos tu mane [30]) ad me salutatum miseras, quum illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram.

V. Quae quum ita sint, Catilina, perge, quo coepisti; egredere aliquando ex urbe; patent portae; profiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Malliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos; si minus, quam plurimos; purga urbem. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutius non potes; non feram, non patiar, non sinam. 11. Magna diis [31]) immortalibus habenda est atque huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius urbis, gratia, quod hanc tam tae-

29) esse, omis. 30) mane, omis. 31) dis.

---

oppositionis, quod a Cicerone etiam interdum usurpatum esse, notum est. Sic personatus Cicero scripsit § 27: *exsul potius quam consul*, et: *non emissus ex urbe, sed immissus in urbem*, similia. Ex alio oppositionis genere non minus festivo, hoc est: »quos ferro trudicari oportebat, eos nondum voce vulnero. — *illa nocte:* vide supra. — *distribuisti partes Italiae.* De ea distributione nil notum est; solum legitur apud Cic. p. Sylla 19. § 53, Autronio esse praescriptum ut Etruriam occuparet. — *in meo lectulo.* Sic Madvig aliique. Halmio de hac lectione non constare videtur; nam in ed. Lips. dedit *lecto* tum h. l. tum § 52 Orat. p. Syll., ex qua Orat. hic locus expressus est; in ed. 2ª Opp. Cic. in utroque loco dedit *lectulo*.

Quae quum ita sint —— reipublicae esse coniunctam. — *tua illa Malliana castra.* Melius esset *tua* omittere. — *non feram, non patiar, non sinam.* Ridicule haec ita cumulantur, neque quae gradatio his inesse possit, intelligo. — *magna diis immortalibus habenda est — gratia.*

tram, tam horribilem, tamque infestam reipublicae pestem toties iam effugimus. Non est saepius in uno homine summa salus periclitanda reipublicae. Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Quum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato; denique quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti; quamquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicae esse coniunctam. 12. Nunc iam aperte rempublicam universam petis; templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique [32]) totam ad exitium ac vastitatem vocas. Quare, quoniam id, quod est primum et

[32]) [denique].

Ineleganter, et contra usum Romanorum, vocc. *habenda est*, et *gratia* tanto intervallo seiuncta sunt. — *non est saepius in uno homine.* Improbanda videtur sententia Mureti adnotantis: »non Ciceronem sed Catilinam significari puto," p. 548; contrarium docemur tum voc. *saepius*, tum iis, quae paullo post leguntur: »quotiescunque me petisti", et: »quamquam videbam perniciem meam cum magna calamitate reipublicae esse coniunctam." — *summa salus.* Harum dictionum utramlibet sustuleris, orationem meo quidem animo, elegantiorem effeceris." Muretus l. l. — summa autem salus dici non potest, nisi concedas etiam infimam vel inferiorem salutem cogitari posse. — *periclitari* h. l. ponitur passive, sensu discriminis, periculi subeundi; at apud Ciceronem semper et ubique significat, periculum facere alicuius rei, experiri, tentare, sive passive, sive transitive legatur. — *amicorum praesidiis* non comprimuntur conatus nefarii: porro orator sibi ipsi obloquitur; nam quum dixisset: »amicorum praesidiis compressi conatus tuos nefarios," statim addidit: »quotiescunque me petisti, per me tibi obstiti." — *nullo tumultu publice concitato*, melius fecisset rhetor, si id, quod ante oculos habebat ex orat. p. Sylla 11. § 33: *sine tumultu*, descripsisset, omisso *publice.*

Nunc iam aperte — *si me consulis, suadeo.* — *vitam omnium civium* — *ad exitium ac vastitatem vocas.* Qui hoc faciat, vel qui talem ὑπερβολὴν defendere velit, non facile invenies. — *huius imperii.* Difficile est dictu quid his vocc. indicetur; crederes: »huius imperii proprium est"

quod huius imperii disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum audeo, faciam id, quod est ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius. Nam si te interfici iussero, residebit in republica reliqua coniuratorum manus; sin tu (quod te iamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina reipublicae. 13. Quid est, Catilina? Num dubitas id me impe-

---

significare: quod proprium est huius reipublicae, huius civitatis, id, quod in hac republica fieri solet. At in republica non solebant cives interfici. Significationem igitur hanc voluisse videtur rhetor: id, quod fieri solet, quum respublica Scto permissa est consulibus; quod Halmio quoque placuit p. 31 ed. Lips. Adscripsit ille Cic. p. Sylla 7. § 21: »an tu in tanto imperio, tantaque potestate non dicis me fuisse regem": ex quo loco apparere potest, si hoc opus esse videtur, *imperium* dici posse de potestate consulibus illo Scto tradita, sed nondum id, quod demonstrandum erat: *huius imperii*, quum nihil de ea re praecedat h. l. et significatione accipi posse. — *disciplinae maiorum*, quid haec h. l. significent non video. — *ad severitatem lenius*. Recte quidem dicitur: hoc est utilius ad communem salutem; sed duo vocabula e regione sibi opposita sic coniungi non possunt. Quid v. c. esset: »*ad perniciem utilius"?* — *residebit in republica*. Ut rhetorem supra lapsum esse indicavi, quum scriberet »Catilinam intra moenia i. e. in urbe intestinam perniciem moliri" § 5, sic etiam nunc fallitur. Voluit: *in urbe residebit;* nam qui in castra Malliana proficiscebantur in republica quoque erant. — *sentina reipublicae*. Sentina est fundus navis, quo aqua et sordes confluunt; praestat in nave cloacae vicem. Recte igitur dicitur: *sentina exhauritur*, ut est quoque apud Cic. de Sen. 6. § 17: »cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant", et allegorice apud eundem ad Fam. IX. 15. § 3: »Ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutius abesse ab reipublicae custodia. Sedebamus enim in puppi et clavum tenebamus; nunc autem vix est in sentina locus", i. e. antea multum poteramus in republica administranda; nunc (a. u. c. 708) nihil in reipublicae moderamine valemus. Sall. B. C. 37: »omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam tanquam in sentinam confluxerant." Sentina igitur locus est, pars navis. Quid vero esse potest »reipublicae sentina magna et perniciosa comitum tuorum quae ex urbe exhaurietur"? — *num dubitas Catilina?* Interrogandi particula *num* requirit necessario negationem. Si Cicero igitur sciebat, quid Catilina facturus esset, defendi posset haec dicendi

rante facere, quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me, num in exsilium? Non iubeo, sed si me consulis, suadeo.

---

ratio: quod sequitur vero: *num in exsilium?* absurdum est. — *quod iam tua sponte faciebas.* Halmius adnotat, *facere volebas*, quod absurdum est; nam Catilina *facturus erat* sponte id, quod nunc ei imperari dicitur. Ut vero suam explicationem commendet haec addit: »wie eine Handschr. aus Glosse werklich liest." Sic scil. orationes in scholarum usum eduntur. *faciebas* defendi non potest, ne verbis quidem Ciceronis de Off. III. 30. § 109: »Atque huius deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, (i. e. qui dedendus erat) suasor et auctor fuit." (cf. Madv. Gr. Lat. § 362. adn. 1. ed. 2ae) — *non iubeo*, — *sed suadeo.* Stultum hoc est; nam non poterat Cicero Catilinam iubere in exsilium ire; »nulla enim lex erat apud veteres Romanos, quae ullum maleficium exsilio multaret." Muret. p. 549. Plura de ea re scripsi in Disp. mea de Crimine ambitus p. 155 sqq. — *si me consulis.* Inepte haec adduntur, ac si Catilina is esset, qui Ciceronem de ea re consuleret.

Exponuntur in capp. 6 et 7, et in priore parte cap. 8 causae, ob quas Catilinae ut ex urbe proficiscatur, suadet consul. Totam hanc particulam orationis melius omisisset orator: nam absurdum est Ciceronem consilium dare Catilinae ut ex urbe proficiscatur, quum iam in superioribus ei dixisset: »num dubitas id *me imperante* facere, quod iam tua sponte faciebas?" — Suadeo tibi ut proficiscaris, sic inquit, (nam voce. *quid est enim*, rationem continent eorum, quae praecedunt), quod nihil est quod te in hac urbe delectare possit. Probabilis sane causa, quam primam amicus dicat amico; absurda vero si a consule prima nominetur ei, qui urbem, Italiam, omnes cives perdere studeat! Sequuntur multa, quibus indicatur Catilinam esse hominem nequam, ac si inde sequeretur urbem ei esse relinquendam. Quam vero exspectares accuratam expositionem facinorum a Catilina perpetratorum, ex quibus revera apparere posset eum esse tam perniciosum hominem, frustra requiras; omnia confuse profunduntur, et ubi ad certum crimen narrandum devenisse videtur declamator, subito legitur § 14: »quod ego praetermitto et facile patior sileri." In cap. 7. haec praesertim causa a consule citatur, quod omnes cives Catilinam metuant: quo quid esse potest stultius? Omnes, quos perdere cupis te metuunt; gratum iis feceris, si ex urbe exieris. Consul hoc tibi suadet. Quid aliud hac re effici posset, quam ut Catilina in urbe maneret?

VI. Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo, qui non oderit. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non inhaeret [33]) in fama? quae libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti? 14. Quid vero? nuper, quum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego praetermitto et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties: ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam rempublicam atque ad omnium

[33]) haeret.

Quid est enim ——— *vitam salutemque pertinent,* — *ferrum praetulisti.* Recte dicitur: »facem praeferre alicui:" at, ferrum alicui praeferre, nihili est. — *morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses.* Obiicit igitur rhetor, Catilinam interfecisse uxorem ut novas nuptias celebrare posset: hoc tamen non fecit *morte*, sed *nece* uxoris suae, si res nempe vera esset, quippe quam praeter personatum Ciceronem nemo narrat. In errorem incidisse nostrum certum est; nam novis nuptiis vacuam fecit domum Catilina, filio adulta aetate necato, ut Aureliam Orestillam ducere posset, Sall. B. C. 15. Val. Max. IX. 1. § 9. — *ruinas fortunarum tuarum, quas* — *impendere senties.* »Ruinae impendent", recte dicitur; non item: ruinae fortunarum tuarum. — *ad privatam ignominiam:* non dici hoc potest de ignominia, quae nascitur ex vita privata. — *ad domesticam difficultatem.* Recte Halmius vidit hoc esse accipiendum de aere alieno et egestate Catilinae: adscribit Cic. in Verr. IV. 6. § 11: »quaerendum est, num tanta difficultas eum rei nummariae tenuerit." Sed domestica difficultas, non idem est ac difficultas rei nummariae: Cicero hoc dicit: *difficultatem nummariam* in Verr. II. II. 28. § 69.

nostram vitam salutemque pertinent. 15. Potestne tibi haec lux, Catilina, aut huius caeli spiritus esse iucundus, quum scias, horum esse neminem, qui nesciat, te pridie Kalendas Ian., Lepido et Tullo consulibus, stetisse in comitio cum telo? manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam, aut timorem tuum [34]), sed fortunam populi Romani obstitisse? Ac iam illa omitto; neque enim sunt aut obscura aut non multa commissa postea [35]); quoties tu me designatum, quoties consulem interficere conatus es? quot ego tuas peti-

[34]) tuum. omis. [35]) postea. omis.

Potestne tibi haec lux ——— *in consulis corpore defigere.* — *huius caeli spiritus.* Spiritus apud Ciceronem est spiratio, anhelitus; apud eum v. c. legitur: aer, quem spiritu ducimus; aer spiritu ductus; tribus rebus animantium vita tenetur, cibo, potione, spiritu." de N. D. II. 6. § 18. 39. § 101. 54. § 134. Ponitur tamen etiam significatione ipsius aëris ut v. c. in notissimo loco orat. p. Sex. Rosc. Am. 26. § 72: »quid est tam commune quam spiritus vivis, terra mortuis" cett. Sed, »caeli spiritus" absurdum est; nam caelum certe spiritum non habet. — *stetisse cum telo;* quid interesset inter: stare cum telo, et: esse cum telo, latuit rhetorem; *stare cum gladiis,* ut est v. c. apud Cic. Phil. II. 4. § 8. »qui cum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus," dicitur de iis, qui quavis de causa aliquo loco sunt collocati; *cum telo esse* contra semper habet significationem: versari cum telo hic illic ut insidiose aliquem interficias. Sic Catilina consuli insidias parans non stabat certo loco cum telo, sed ut recte est apud Sall. B. C. 27: »ipse cum telo esse, item alios iubere; hortari ut semper intenti paratique essent." — *aut non multa commissa.* Halmius denuo quid interpretatio efficere possit luculenter demonstrat: der Redner giebt zwei Gründe an, weshalb er *illa omittat,* 1) weil diese Vorfälle bekannt genug sind, 2) weil zu viele Frevel begangen wurden, als dass er jetzt darauf eingehen könnte. Hoc scilicet significant vocc. *aut non multa commissa,* quae ego putabam nihil significare: scriptum porro erat, ut coniicio ducibus nonnullis codd. MSS.: *aut non multa post commissa,* nempe postquam pridie Kal. Ian. Lepido et Tullo coss., Catilina cum telo fuisset, i. e. eo tempore, quum multi iam viderent Catilinam novis rebus studere. Scio rhetorem, si haec scripsit, absurdam omissionis reddere rationem, sed optime quadrat cum ceteris causis allatis. Muretus legit: »*aut non multa postea commissa,* addens: atque ita emendandum est; dua-

tiones ita coniectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi. Nihil assequeris [36]); neque tamen conari ac velle desistis. 16. Quoties tibi iam extorta est sica ista [37]) de manibus? quoties [38]) excidit casu aliquo et elapsa est [39])? quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas esse in consulis corpore defigere. Nunc vero, quae tua est ista vita? Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paullo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit

36) [nihil agis] nihil assequeris [nihil moliris]. 37) ista sica. 38) quotiens vero. 39) elapsa est? [tamen ea carere diutius non potes].

---

bus enim de causis illa omittere se dicit; quod et nota sint et multa alia postea commiserit Catilina" p. 556. — *parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi. Ut aiunt* indicat proverbialiter hoc esse dictum; at nullum unquam proverbium fuit Latinis: corpore effugere aliquid, nisi quod Halmius commentus est de suo: »*corpore effugi.* Sprüchwörtliche Redensart, die besagt, dass er gerade nur mit der Körpersweite seinem Dolchstosse entgangen sei (sic). Wir sagen ähnlich: nur mit einem Haar. — *nihil assequeris.* Novissimi editores repudiaverunt: *nihil agis, nihil moliris*, quae ex § 8. huc pedem intulisse dicunt. Muretus *assequeris* mutat in, *sequeris;* »assequi est ἐπιτυχεῖν, quod plane hoc loco non convenit; est autem *nihil sequeris*, nihil tibi proponis" p. 556. — *defigere.* defigimus aliquid ita firmiter ut maneat: »salutem praesentium, spem reliquorum in vestra potestate, in vestris sententiis, in hoc uno iudicio positam et defixam putetis" i. e. ut divelli ab hoc iudicio non queat, apud Cic. p. Flacco 1. § 3., in qua §, ut hoc obiter moneam, pro: »quoniam multa nos et in nostris rebus et in republica fefellerunt, *ferimus* ea, quae sunt ferenda, leg. est; *feremus* ea, quae sunt ferenda.

Nunc vero —— nec vim pertimescat. — *nunc vero.* Exspectares igitur oppositionem eorum, quae praecedunt; at iam ab initio c. 6 exponit rhetor nihil esse quod iam in urbe possit delectare Catilinam: de re praesenti agitur in c. 6, itidem in c. 7; particula *nunc* igitur, quam maxime fieri potest, inepte ponitur. — *misericordia, quae tibi nulla debetur.* Igitur absurde agit orator. — *vocis contumeliam* aeque ac

nemini, vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid? quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt, quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt, quo tandem animo hoc [40]) tibi ferendum putas?
17. Servi mehercule mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? et, si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me adspectu civium, quam infestis oculis omnium [41]) conspici mallem; tu, quum conscientia scelerum tuorum

[40]) hoc omis. [41]) omnium oculis.

iudicium taciturnitatis, nihil potest significare. Excogitata haec sunt a rhetore ut bellam ederet oppositionem; nam vult iste: Quid? etiamne exspectas ut verbis in te invehantur, qui iam eo, quod taceant, quid de te cogitent, significent? Dicendum igitur fuisset: *verborum contumelias*, ut est apud Cic. Phil. XI. 2. § 5. »cum verborum contumeliis optimum virum incesto ore lacerasset." Eodem loco doceri potest cur *iudicium taciturnitatis* h. l. stare non possit: ut enim dicitur in eo loco; habuit quaestionem pecuniae publicae, i. e. de pecunia publica, sic: vocare aliquem in iudicium capitis est: de capite, Cic. Brut. 36. § 136, et multarum rerum iudicia sublata sunt, ex orat. p. C. Cornelio p. Orell. 73. signif. »iudicia de multis rebus;" sic gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus is est, qui taciturnitatis est damnatus. — *persaepe constituti fuerunt.* Libenter acquiescerem in Madvigii interpretatione (in Opp. Acad. alt. p. 219): »*habuisse* Catilinam senatores ad caedem constitutos (non *constituisse* tantum) Cicero significat, et in eadem oratione § 24: (*constitutum* fuit) non solum constitutum esse sacrarium dicit, sed cum esset semel constitutum, aliquamdiu mansisse," si capere possem, quî hoc modo illi consulares *persaepe* constituti *fuerunt*, ad caedem fuissent; quodsi, quomodo hoc fieri possit, mihi explicetur, fatebor Latinum esse: »omnes consulares tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt." — *servi mehercule mei* cett. Saepius iam vidimus rhetorem in comparationibus titubantem; hic ob vocabula *isto pacto*, absurdi quid nasci recte monet Morstadt p. 23; quid enim cives metuebant? ne Catilina domus, tecta sua vastaret, bona diriperet; sed, ne hoc fiat servi metuere non possunt; voluit igitur per vocc. *isto pacto*, quod Romani solent: *tantopere*. — *omnes cives tui.* Praeterquam quod hoc verum

agnoscas odium omnium iustum et iam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum adspectum praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes; nunc te patria, quae communis est omnium nostrum parens [42]), odit ac metuit, et iamdiu te nihil iudicat nisi de parricidio suo cogitare. Huius tu neque auctoritatem verebere neque iudicium sequere neque [43]) vim pertimesces? 18. Quae tecum, Catilina, sic agit et quodammodo tacita loquitur: Nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad negligendas leges et quaestiones, verum etiam ad vincendas [44]) perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen ut potui, tuli: nunc vero me totam esse in metu propter unum te, quidquid increpuerit, Catilinam

[42]) parens omnium nostrum. [43]) nec. [44]) evertendas.

---

non est, etiam hoc nomine reprehendendus est usus horum vocabulorum, quod orator adhuc non de omnibus civibus sed de senatoribus egerit. — *offensum.* Muretus coniecit: *infensum* p. 557. — *Si te parentes* cett. Comparatio haec est: si parentes te odissent, aliquo concederes; nunc patria te metuit; exspectare igitur iure possemus: »igitur relinque urbem." At haec ratio non placet oratori nostro: inducitur patria ipsa loquens inter alia, postquam multa praemiserat, etiam haec dicens: »discede, atque hunc mihi timorem eripe." Alio etiam vitio laborat haec comparatio: vocc. »*neque eos ulla ratione placare posses*" absurda sunt, nisi putes Catilinam omni modo conatum esse cum patria in gratiam redire; quod quum non ita factum sit, omittenda fuissent. — *patria metuit te* quoddammodo defendi potest; sed quid sit: »*huius* (patriae) *tu neque — iudicium sequere, neque vim pertimesces*" libenter fateor me non capere.

Quae tecum Catilina, —— *ut tandem aliquando timere desinam.* — *quodammodo tacita loquitur.* Saepius utitur Cicero tali figura ut v. c. populum loquentem inducat; ut est in orat. pro Planc. 5. § 12, sed tacitum loquentem, quod sciam, meminem in scenam producit. — *me totam esse in metu.* Dissentit igitur patria ab oratore nostro, qui § 5

timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discede atque hunc mihi timorem eripe, si est verus, ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam. VIII. 19. Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? Quid [45]), quod tu te ipse in custodiam dedisti? quod vitandae suspicionis causa ad M. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus etiam ad me venire ausus es atque, ut domi meae te asservarem, rogasti. Quum a me quoque id responsi [46]) tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum praetorem venisti; a quo repudiatus ad sodalem tuum, virum optimum M. Mar-

[45]) quid? [46]) id responsum.

---

diserte indicat, multos adhuc esse qui, quod de Catilina narrabatur, nondum crederent; nam non faterentur eum iure esse interfectum, quod verum esse apparet ex Cic. p. Mur. 25. § 50 sqq.; at nunc *tota patria est in metu*, quod Halmius ita interpretatur: *me totam* heisst nicht überall im römischen Gebiete ist man von dir in Furcht; sondern: das Vaterland fürchtet fur seinen ganzen Bestand." — *hunc mihi timorem eripe, si est verus, ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.* Communis omnium parens, quae sic loquitur, habet quod Ciceronem consulem accuset. Videtur enim nescire essetne revera a Catilina consilium quoddam contra se initum; orator tamen in superioribus saepius indicavit se non fugere, quid Catilina moliretur, immo quid cogitaret, sed patria, ut ipsa fatetur, adhuc ignorat sitne Catilina sibi metuendus necne.

Haec si tecum —— *fugae solitudinique mandare.* — *Ut dixi.* Necessarium igitur visum est oratori Catilinae in memoriam revocare praecedentia a patria esse dicta. — *nonne impetrare* — *non possit.* Igitur patria certe impetraret vi adhibita; sed verbi impetrandi haec vis est ut de volente dicatur, non de invito. — *a me quoque id responsi tulisses.* Sive *id responsi*, sive *id responsum* legatur, (id, quod Halmio placuit), orator indicat Lepidum quoque dixisse, se nullo modo posse tuto esse iisdem parietibus cum Catilina cett.: quod cum per se est incredibile, tum etiam hac de causa, quod *tuto esse parietibus* nihil

cellum [47]) demigrasti, quem tu videlicet et ad custodiendum te [48]) diligentissimum et ad suspicandum sagacissimum et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse iam dignum custodia iudicarit? 20. Quae quum ita sint, Catilina, dubitas, si emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras et vitam istam, multis suppliciis iustis debitisque ereptam, fugae solitudinique mandare?

[47]) M. Metellum. [48]) [te].

---

significat et Latinum non est. Vocabulo *parietibus* usus fuisse rhetor videtur, quod opponeret *iisdem moenibus.* — *demigrasti.* Demigrandi verbum usurpatur de iis, qui ex domo vel ex eo loco ubi habitant in alium transeunt cum omni suppellectili, quod in hunc locum non cadit. — *si emori aequo animo non possis.* Incpta haec sunt; nam quid sit: aequo animo aliquid pati, tolerare, similia, omnibus notum est: mori aequo animo i. e. tranquille, dicitur de eo, qui paratus est, qui mortem non metuit apud Cic. de Sen. 23. § 83. Quid hic vero mortis mentio faciat, post vocc.: »quae quum ita sint," non video, quum de ea re in praecedentibus nihil legatur: si haec significare debent *cur mori metuis?* insulsa est illa quaestio, quae huic loco non convenit.

Absoluta iam ea parte orationis, qua suasit rhetor Catilinae ut ex urbe exiret, causasque exposuit cur proficiscendum esset, inter quas festive etiam haec recensetur: Catilinam se ipsum in custodiam dedisse, (quo certe probavit sibi propositum esse in urbe manere), orator aliam ingreditur viam. Nunc demum iubet Catilinam ire in exsilium, quod nemini iniungi posse civi Romano, poenae loco, neque a consule, neque a Senatu supra dixi: exsilium enim civibus Romanis non erat supplicium, sed perfugium et portus supplicii. Cic. p. Caec. 34. § 100. Ex ea tamen poena sibi videt tempestatem invidiae maximam orituram, cuius molem vix sustinebit. Quodsi haec revera a Cicerone essent scripta, sine dubio iam antea de ea re loquutus fuisset, praesertim cum etiam verendum fuisse videatur ne ea calamitas (istius scil. invidiae) non solum privata, sed etiam cum reipublicae periculo coniuncta esset. Ex capite 9 tamen apparet oratorem nondum iussisse Catilinam in exsilium ire: verba: »egredere ex urbe — in exsilium proficiscere," ab oratore dicta esse videntur ut Senatores quid sentirent demonstrare possent: qua in re iterum vehementer peccat noster; nam postquam Senatus noto decreto rempublicam consulibus permisit, Senatorum non

„Refer, inquis, ad senatum; id enim postulas et, si hic ordo sibi [49]) placere decreverit te ire in exsilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a

[49]) sibi. omis.

---

erat de ea re quidquam decernere et absurda est igitur tum hoc nomine expostulatio Catilinae: »refer inquis ad senatum" cett. tum etiam hac de causa, ac si Catilina esset obtemperaturus iis, quorum unumquemque ad caedem constituisset. In fine c. 9 ipse orator luculenter demonstrat verum esse quod in initio illius capitis posuit, omnia nempe quae dixisset nihil esse et facile omitti potuisse: dicit enim § 24. »quamquam quid ego te invitem" cett. usque ad finem huius capitis. Sciebat enim superiore illa nocte iam diem exeundi fuisse Catilinae constitutam.

Refers, inquis, ad senatum: ——— *usque ad poetas prosequantur.* — *id enim postulas.* Ridicule de Catilina hoc affirmatur, qui nunquam hoc postularet, certe non apud eos senatores, quos persaepe ad caedem constituerat, quique simul atque in senatum venerat eam partem subselliorum ubi ille assedit, nudam atque inanem reliquerunt. — *et si hic ordo sibi placere decreverit.* »Veteres libri, »*et si hic ordo placere decreverit:*" quae mihi ἔλλειψις nescio quo modo venustior videtur. Verbum autem *placere* usitatissimum erat in Senatusconsultis." Muretus p. 560. — At aliud etiam verbum in hac sententia insolitum est; non solent enim ita coniungi: »placere decrevit senatus," qui vel decernere dicitur aliquid, vel cui aliquid placuit; hoc verbo saepissime utitur Cicero in Philippicis de senatusconsultis a se latis sed nondum perlatis. Quod afferri posset exemplum ex Cicerone ubi verba »decernere placere" coniungutur ab Halmio correctum est, ita ut nunc edatur: »tumultum esse decrevi, iustitium edici, saga sumi dixi placere" pro eo quod in ed. Orelliana priore legebatur: *tumultum esse decerni* »cett. Cic. Phil, VI. 1. § 2. — *non referam id quod abhorret a meis moribus.* Nisi in ineptissimo scriptore explicando versarer, indicarem gravem Morstadtii errorem, existimantis sicilicum esse ponendum post voc. *id*, ita ut legeretur: *non referam id, quod abhorret a meis moribus;* in qua sententia *id* trahendum esset ad exsilium: sed non *referimus exsilium*, sed: *de exilio.* Sed haec obiter; sive enim sicilicum ante pronomen, sive post pronomen ponatur, in utroque casu, quod nascitur monstrum est: *nam non referam, id quod abhorret quod a meis moribus*, indicat τὸ referre, id quod proprium est consulis, non solum sibi non placere, verum etiam sibi esse odiosum; *non referam id, quod* cett., i. e. non sum relaturus de exsilio in eum decernendo, qui omnes cives ad exitium ac vastitatem vocat, id enim mores mei temperati moderati-

meis moribus, et tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina; libera rempublicam metu; in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid [50]) animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? 21. At si hoc idem huic adolescenti optimo P. Sestio, si fortissimo viro M. Marcello dixissem, iam mihi consuli hoc ipso in templo iure optimo senatus [51]) vim et manus intulisset. De te autem, Catilina, quum quiescunt, probant, quum patiuntur, decernunt, quum tacent, clamant; neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima, sed etiam illi equites Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique

[50]) ecquid attendis, ecquid animadvertis [51]) senatus iure optimo.

---

que non sinunt. — Haec is dicit, qui inertiae atque nequitiae se ipse damnabat, quod nondum Catilinam interfici iussisset! — *tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te sentiant.* Mirifico artificio oratorio, nempe silentio patrum, postquam Catilinam ex urbe exire iusserit, declamator demonstrabit id, quod iam facto re ipsa, multo luculentius a senatoribus factum esse narratur § 16, ubi dicit Catilinae contigisse, quod nemini, post hominem memoriam: subselliorum partem ubi ille adsedit inanem atque nudam esse relictam cett. — *iure optimo.* Solet Cicero haec vocabula alio sensu usurpare. — *vim et manus.* Aliud exemplum duorum vocabulorum de una eademque re, ubi unum sufficeret; vide ad cap. 1. Totus hic locus ita conflatus est ut a Valerio Maximo eum profectum esse putares. — *tacent clamant.* Insulsa et ridicula oppositio, quam frustra defendunt, qui comparare iubent Ciceronis Div. in Caec. 6. § 21: »Cur nolint, etiamsi taceant, satis dicunt. Verum non tacent" cett. — *auctoritas est videlicet cara.* Oppositionem adiectivorum, vilis et carus noster debet Ciceroni p. Flacco 41. § 103: »etiamsi honor noster vobis vilior fuisset, salutem certe caram fuisse;" quod adiectivum, vereor ut auctoritati conveniat. — *sed etiam illi equites Romani.* Equites Romani igitur tacendo etiam approbabant Catilinam iussum esse in exsilium ire. Collocati illi erant a Cicerone in clivo Capitolino, (Cic. ad Att. II. 1. § 7.) quo loco audire et intelligere quid Cicero diceret in senatu non poterant, quum templum Iovis Statoris in monte Palatino esset; lapsum autem esse rhetorem hac in re vel

fortissimi civis, qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre et studia perpicere et voces paullo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te iamdiu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, ut te haec, quae iampridem vastare [52]) studes, relinquentem usque ad portas prosequantur.

IX. 22. Quamquam quid loquor? Te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exsilium cogites? Utinam tibi istam mentem dii [53]) immortales duint, tametsi video si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est tanti,

[52]) vastare iam pridem. [53]) di.

---

ipso rhetore, teste locuplete, indicari potest: scribit enim: »quorum (equitum) voces paulo ante *exaudire* potuisti, i. e. *ex longinquo audire* potuisti; qua ipsa in re denuo aliquid est, quod animadvertendum esse videatur. Quando enim exauditae sunt voces illae equitum? Oratio habita est sine dubio initio senatus; igitur quum Cicero iam verba faciebat in Catilinam ut Halmius scripsit, cui nihil tam difficile esse videtur quin explicari possit: »*paulo ante exaudire* bezieht sich auf Verwünschungsrufe, die während der Rede, vielleicht nach der Aufforderung, die Stadt zu verlassen, erfolgt waren. — *circumstant senatum.* Utrumque vocabulum errorem continet; equites enim ut dixi erant collocati in clivo Capitolino, signifero et principe Attico; (Ep. ad Att. II. 1. § 7.) igitur non circumstabant senatum: quod si fecissent, non scribendum fuisset *senatum*, sed *curiam circumstabant.* — *manus contineo.* Continere manum aut manus is dici potest, qui ipse manus non proiicit. Non potest tamen alius alterius manus continere.

Quamquam quid loquor ——— *si in exsilium iussu consulis ieris sustinebo.* — *tu ut exsilium cogitas.* Hoc Latinum non est, nec dici potest; exsilium enim ponitur, licet perperam, ubique a nostro pro eo, quod poenae loco est; at illud non cogitamus: quis v. c. unquam carcerem, quis vincula vel verbera cogitavit? — *duint.* Inepta affectatio. — *quanta tempestas invidiae.* Non intelligo unde illa invidia nunc tam subito pullulet rhetori nostro, et vel propter hunc unum locum affirmare ausim, orationem postea esse conflatam. Qui scilicet Catilinam bonis

dummodo ista privata sit [54]) calamitas et a reipublicae periculis seiungatur. — Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus reipublicae cedas, non est postulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te pudor unquam a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore revocarit. 23. Quamobrem, ut saepe iam dixi, proficiscere, ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium; vix feram sermones hominum, si id feceris, vix molem istius invidiae, si in exsilium iussu consulis ieris, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu, confer te ad Mallium, concita perditos cives, secerne te a bonis, infer patriae bellum, exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus

[54]) sit privata.

omnibus infensum, palam reipublicae interitum minitantem, certis iudiciis circumventum non interficit, quum de ea re ex Scto statuere possit, quod videatur, sed patitur immo postulat ut ex urbe impune abeat, is, eam metuet invidiae tempestatem, quae cum reipublicae periculis coniuncta sit! At hac in re etiam titubavit declamator quod ex Catilinae exsilio putet invidiae tempestatem esse ortam; quae nunquam tam vehementer exarsisset nisi Tullio auctore supplicium summum fuisset sumtum de iis, qui in custodiis tenebantur. Haec enim res ansam dedit Clodii legi: »qui civem Rom. indemnatum (Orelli perperam *damnatum* legit) interemisset, ei (male Orelli *et*) aqua et igni interdiceretur; cuius verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur." Vell. Pat. II. 45, ubi pro *cuius verbis* leg. est *quibus verbis.* — *a furore revocaverit.* Necessario requiritur *revocet* sive omittas *unquam*, quod in multis codd. non legitur, sive hoc retineas cum Quinct. IX. 3. § 62. (cf. Halm. ad hunc. loc. in ed. Lips. p. 39). — *recta perge in exsilium.* Recta pergimus, si in aliquem locum definitum imus. At exsilium esse potest in unamquamque partem terrarum, ut supra insulse dictum est a nostro, § 20: »Quae quum ita sint, dubitas — *abire in aliquas terras!"* — *infer patriae bellum, exsulta impio latrocinio;* bellum et latrocinium, quae h. l. coniunguntur, semper a Cicerone, immo etiam a rhetore nostro § 27. distinguuntur. — *a me non eiectus* — *sed invitatus.* Sicut haec in textu leguntur *a me* refe-

ad tuos esse [55]) videaris. 24. Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos, qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati? cui sciam pactam et constitutam cum Mallio diem? a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus perniciosam esse [56]) confido ac funestam futuram [57]), cui domi tuae sacrarium scelerum tuorum constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa carere diutius possis, quam venerari ad caedem proficiscens solebas, a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem

[55]) isse. [56]) esse omis. [57]) confido perniciosam ac funestam futuram.

---

rendum aeque est ad *invitatus*, quod ridiculam pareret sententiam. — *ad alienos.* Cicero Catilinam *ad neminem eiecit* (si hoc ita dici potest); licuit ei, quo vellet, abire; vocc. *ad alienos* hac de causa solum sunt adscripta a rhetore, ut oppositio esset efficacior: *eiectus ad alienos*, — *invitatus ad tuos.*" Vehementer dubito possitne defendi: »invitatus esse ad tuos."

Quamobrem quid ego te invitem ——— *ad necem civium transtulisti.* — *praestolarentur:* dicendum fuisset: *praestolentur.* — *sacrarium scelerum tuorum.* Sacrarium est locus in quo sacrae res reponuntur, quod etiam in aedificio privato esse potest, ut definitur ab Ulpiano l. 9 §. 2. ff. de div. rer. et qualit. (I. 8.); in quo loco *reponuntur* nunc recte editur quum *re* ob praecedens *res* in multis libris evanuit; sic eodem modo praep. *pro* excidit ante *pretium*, in his verbis Callistrati: »sed defendendum est, hunc conferre debere (*pro*) pretio praesenti rerum in leg. 4. § 2. ff. de leg. Rhodia de iactu (XIV. 2) et Ciceroni restituenda est particula *an* ante *annis*, in Ep. ad Att. XIII. 32. § 3: »*An* annis XIIII ante, quam praetor factus est, legatus esse potuisset?" Sacrarium igitur, ut eo revertamur, potuit Catilina domi habere; sed *sacrarium scelerum* non potuit. Vide egregiam sacrarii, quod apud Heium erat, descriptionem apud Cic. in Verr. II. IV. 2. § 4 sqq. Totum hunc locum, de aquila a Catilina dei loco habita, praetermisissem, quod per se ab unoquoque, ut opinor, damnatur, nisi etiam nonnulla inessent satis digna, quae animadverterentur. Ex quorum numero est illud: »proficiscens ad caedem," ad quam nemo proficisci dici potest: nam proficiscimur ad aliquem locum, non ad caedem. Ex eodem genere est haec metaphora: »*a cuius altaribus saepe istam impiam dextram ad necem civium transtulisti?* quae, quid significare debeant, vel possint, non capio.

civium transtulisti? X. 25. Ibis tandem aliquando, quo te iampridem tua ista [58]) cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat. Neque enim tibi haec res affert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura pe-

[58]) ista tua.

Quod sequitur caput 10, non videtur a rhetore suo loco esse appositum. Si saltem iis, quae hoc capite leguntur locus concedendus est in oratione, qua quis hostem patriae in exsilium mittit, pertinet ad eam partem in qua Catilinae suasit ut urbem relinqueret, quod nihil esset, quod eum in urbe posset delectare. In hoc autem capite dicit orator Catilinae profectionem non dolorem sed voluptatem incredibilem allaturam recensetque causas ex quibus Catilina gaudium et laetitiam sit percepturus, si in castra Malliana pervenit. Ultimae tamen sententiae commodo cohaereant non est perspicuum. Scribit enim Catilinam brevi confectum fore patientia frigoris, famis, inopiae rerum omnium; quibus addit: »Tantum profeci tum cum te a consulatu reppuli ut exsul (exspectares *brevi succumberes* vel tale quid, additis nonnullis flosculis orationis; at oratori placuit: ut exsul potius tentare quam consul vexare rempublicam posses" quibus in verbis egregium illud studium oppositionis locum dedit vocc. *consul*, cui nequaquam hic sedes fuisset danda.

Ibis tandem aliquando ——— potius quam bellum nominaretur. — *cupiditas* solet dici de avaritia, libidine cett. i. e. de iis rebus, quibus certum obiectum est ut v. c. etiam dicitur de studio partium; vel solet coniungi cum genitivo illius rei, quae cupiditatis illius obiectum est; sic cupiditas et avaritia a Cicerone saepius coniunguntur v. c. in Orat. p. Sex. Rosc. 35. § 101: »profecto non tam perspicue nos istorum maleficia videremus, nisi ipsos caecos redderet cupiditas et avaritia et audacia;" quem locum idcirco laudo, ut turpe glossema indicem, quod in vicinia legitur in his verbis: »habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum, minorem annis sexaginta de ponte *in Tiberim* deiecerit": ubi adiectis: *in Tiberim*, res, quae in comitiis facta est satis ridicule ad fluvium transfertur. Sic pro Quinctio 16. § 53. Tullius scripsit: »cupiditas et avaritia respirasset paulum" cett. Videamus nunc ad quam rem nostro loco trahenda sit illa cupiditas: »ibis tandem aliquando, quo iam te pridem ista tua cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat" ubi sermonem esse de castris Mallianis in aprico est unidiique. At ea Catilina non cupiebat, sed *principatum*, ad quod vocc. tamen nullo modo cupiditas hic potest referri. — *ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit fortuna servavit.* In hac cumulatione, ut solet,

perit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Nunquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem nisi nefarium concupisti. Nactus [59]) es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis conflatam improborum manum. 37. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, quum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam neque videbis?

59) nanctus.

---

non admodum felix fuit orator. »Ad amentiam natura te peperit", recte dicitur, sed: *voluntas te exercuit ad amentiam*, non item; exercemur enim laboribus, fortuna, casibus, similibus; sed non voluntate ad aliquem rem. Quod sequitur: »*fortuna te servavit ad amentiam*, si fieri potest, etiam peius est. Nam priore loco fortuna non servavit, sed reservat aliquem ad eventum quendam vel ad tempus quoddam, ut est apud Cic. in Verr. II. V. 46. § 121: »quos, ut mihi videtur, ad illorum innocentium poenas fortuna et ad hanc causam reservavit. Quodsi verum est quod dixi, recte fortuna aliquem reservare dici potest ad supplicium ut scriptum est de Clodio apud Ciceronem: »non te iudices urbi sed carceri reservarunt" sed non potest dici: »fortuna te reservavit ad vitium quoddam." — *otium non concupisti.* Haec apponere non erat opus; nam otium nihil turpe habet, multo minus nefarium est; male igitur h. l. Catilinae exprobratur, eum otium non concupisse. Fortasse otium hoc loco a rhetore positum est ea significatione ut *pacem* significare velit. — *nactus es ex perditis* — *improborum manum.* Hoc certe non ex exquisito genere dicendi est. Quomodo improborum manum nancisci potuisset ex optimis viris, vel probrorum manum ex perditis? Quomodo usus verbi *nancisci* hic defendi potest, quod ponitur de eo, in quod casu vel fortuito incidimus, cuius hanc vim propriam esse dicit Donatus (ad Ter. IV. 4. 59.) ut dicatur de eo, qui paratus ad tenendum, antequam possit reperire quod teneat, statim quod occurrit, prehendit:

»nunc, postquam ademtam hanc quoque tibi causam vides;
puer, quia clam te est natus, nactus alteram es."

quum constet Catilinam, multo labore, ingentibus sumtibus, amicitias sibi comparasse? Porro quod additur *spe derelictis* ne latinum quidem est. In ea re Romani dicebant *deficere*, ut est v. c. saepius in Verrinis: vox, vires, latera deficiunt, vel apud Cic. ad Att. VII. 21. »deficit enim non voluntas, sed spes." — *neque audies virum bonum quemquam neque videbis.* Indicavi simile vitium dicendi in § 6., ubi aures dicuntur

Ad huius vitae studium meditati sunt illi [60]), qui feruntur, labores tui, iacere humi non modo [61]) ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum, vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum. Habes, ubi ostentes illam tuam [62]) praeclaram patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium; quibus te brevi tempore confectum esse [63]) senties. 27. Tantum profeci tum, quum te a consulatu reppuli, ut exsul potius tentare quam

60) illi sunt. 61) non solum. 62) tuam illam. 63) esse. omis.

---

speculari et custodire Catilinam. Audire aliquem recte dicitur si quis cantat vel verba facit, sed h. l. perperam ponitur. — *ad huius vitae studium.* Si quid video haec referenda sunt ad ea, quae praecedunt, igitur ad: »hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum neque videbis? Quid hoc dici potest ineptius? — *qui feruntur.* Habemus reum confitentem; ipse enim indicat rhetor orationem esse scriptam aliquanto post coniurationem. Apud eos nempe, qui scripserunt, sive de industria (Sall. B. C. 5.), sive in transitu, (Cic. p. Coelio 5. § 12.), de Catilinae coniuratione depicti erant hominis mores et characterismus. Post hos demum dici poterat: »*labores qui feruntur.* Orator noster id agens ut odiose de Catilina exponeret, ex iis, quae apud alios scriptores legerat, vel quae audiendo acceperat, non nominat nisi: »iacere humi ad obsidendum stuprum, vigilare somno maritorum, ac si in his solum Catilina versaretur laboribus. Atque in ea ipsa expositione, quam nemo credo intelligere potest, saepius peccat contra usum sermonis Latini et contra sanam rationem. Quomodo enim: — *iacere humi,* inter labores illos Catilinae numerari potest? Quid est *stuprum obsidere,* quod verbum de ea re, quam capere, expugnare cupimus usurpatur non de stupro? Quid aliud apparet ex his verbis: »*non solum ad stuprum obsidendum — verum etiam ad facinus obeundum*" quam hoc: *stuprum* rhetori nostro non videri *facinus?* Possumusne *insidiari somno* alicuius, quum certum et notum sit, non insidiari nisi iis, quae capere possumus et cupimus. Quum *obire* soleat dici de iis, quae nobis imposita sint officia, quid erit *facinus obire?* Vel quid sibi vult illa antithesis »*insidiari non solum somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum?*" — *te a consulatu reppuli.* Est populi, non Ciceronis unde etiam is, qui a populo non creatur dicitur; *repulsam ferre.* — *ut exsul potius tentare — posses rempublicam.* Hoc, etiamsi dici posset Cicero reppu-

consul vexare rempublicam posses, atque ut id, quod esset [64]) a te [65]) scelerate susceptum, latrocinium potius, quam bellum nominaretur.

[64]) est. [65]) abs te.

---

lisse Catilinam a consulatu, tamen defendi non posset. Nam ex eo, quod Catilina non est factus, per se nondum sequitur eum exsulem futurum, qui rempublicam est tentaturus; multo minus inde effectum est ut Catilinae conamina contra rempublicam potius *latrocinium quam bellum nominarentur.*

Antequam ad epilogum transit personatus Cicero, interponitur allocutio patriae, vel cunctae Italiae, vel reipublicae, aut omnium simul, ad quam, ut attendere diligenter velint Patres, rogat orator. Haberem quod opponerem ei, qui contenderet patriam loquentem esse inductam, tum quod, c. 12 init. orator respondet *reipublicae* vocibus, tum quod, quae in Catilinam indulgentior et remissior quam par est, fuisse videatur, in Ciceronem satis vehementer invehitur. Exprobat ei quod nondum interfici Catilinam iusserit, inquiritque in causas, quae consulem movisse videantur ut reipublicae deesset, quas ad unam omnes refellit, quibus defensionem opponit orator in c. 12. Patria, quae suasit Catilinae ut discederet ex urbe c. 7. sibi parum constat, ita ut oratori, qui nunc videtur revera Catilinam ex urbe expulisse, vitio vertat, quod hostem, principem coniurationis non interfecerit. Quid quaeso absurdius esse potest, quam reprehendere eum, qui quod ipse suaseris, fecerit? Quid ineptius quam hanc querimoniam *prope iustam* dicere? Videamus vero quid a consule reponatur, ut appareat eum non id egisse ut patriam dicendo superare voluisse videatur; ipse enim si fieri potest etiam magis titubat. Excusat se apud patres, quod multi, si Catilinam interfecisset, non solum improbi, sed etiam imperiti, id crudeliter et regie factum esse dixissent, quamvis qui Saturninum, Gracchos aliosque ex eodem Scto interfecissent, se eorum sanguine honestassent. Quem locum de crudelitate et regno ab iis mutuatus est, qui postea Ciceroni obiecerunt non Catilinam ex urbe emissum, sed Lentulum aliosque in carcere strangulatos, quod non solum ab inimicis Ciceronis factum esse, sed ab iis qui cum eo rempublicam defendissent luculenter docet Torquatus, qui quum Syllam accusabat non dubitavit de ea re graviter apud iudices queri. Sed nolo hoc urgere; satius erit indicare, quam parum declamator meminerit eorum, quae in superioribus dixerit. Capite III enim haec leguntur: »si te iam Catilina,

XI. Nunc ut a me, patres conscripti, quandam prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim, si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis respublica sic loquatur: „M. Tulli, quid agis? Tune eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis,

---

comprehendi, si interfici iussero, credo erit verendum mihi ne non hoc potius omnes boni serius a me, *quam quisquam crudelius factum esse dicat* c. 12: »*, multi, si in hunc animadvertissem — crudeliter et regie factum esse dicerent.* — Quomodo conciliari possit prior pars huius capitis 12 cum superioribus alii videant. Confessus enim est orator c. 5. § 12. »*se nondum audere interficere Catilinam:*" altero loco legitur: »*ego, si hoc optimum factum iudicarem, P. C. Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem.*" Absurda porro haec defensio est: Non interfeci Catilinam, quoniam sunt, qui non credant coniurationem esse factam. At si hic profectus erit ad Mallium, si cum exercitu suo Italiam vastat atque diripit, si huic urbi minatur, nemo erit tam improbus, qui non fateatur revera coniurationem esse factam. Mihi consuli persuasum est, immo certo scio, Catilinam nobis omnibus caedem minari, Senatus mihi haec dicenti fidem habuit, munivitque me Scto gravissimo, quo non sum usurus ne crudelis vel rex esse videar. At vel sic tamen dicis Ciceronem luculentam hanc orationem conscripsisse?

Nunc ut a me P. C. ——— *cives morte multaverunt.* — *nunc ut a me P. C.* cett. Qui accurate legit et relegit, quae sequuntur apud nostrum, facile mihi dabit, quod supra posui, has quisquilias et ineptias a Cicerone non esse profectas; operae pretium tamen est eos quoque audire qui secus existimant. Halmius ad nostrum locum haec adscripsit: »Diese Rechtfertigung des Cicero vor den ganzem Vaderlande trägt zu sehr das Gepräge der kalten Ueberlegung und sicheren Berechnung, als dass man annehmen könnte, das sie Cicero in einer Rede, die sonzt gans den Charakter eine Stegreifrede trägt, in dieser Form gegen den Catilina angebracht habe." Igitur Cicero prae ceteris hanc orationis partem correxit; vidimus quomodo ea, quae sequuntur cohaereant quamque insulsa sint; persequamur etiam ecquid sit, quod

auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patiere, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? Non [66]) hunc in vincula dici, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? 28. Quid tandem te impedit? Mosne maiorum? At persaepe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte multarunt. An leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? At nunquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium iura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Praeclaram vero populo Romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum,

[66]) nonne.

---

perperam scriptum vel cogitatum sit, ut tum demum iudicari possit de iis, quae a Cicerone in orationibus prae ceteris sunt correcta. — *evocator* numquam apud Ciceronem, neque alibi quod sciam legitur. — *ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis.* Non opus videtur eum, qui semel ad mortem raptus est, iterum summo supplicio mactare, idque — multo minus quod *mactari summo supplicio* non dicatur Latine. Eo sensu Romani usurpant *plecti.* — *mosne maiorum,* Patria indicatura morem maiorum Ciceroni non esse impedimento ut Catilinam interficiat, dicit: »at *persaepe* etiam *privati* in hac republica perniciosos cives morte multaverunt." Hoc tamen non constituit *morem maiorum;* praesertim quum *privati* id fecisse dicantur; sed multo etiam minus, quod illud: *persaepe* absurdo augendi studio positum sit. Quis enim praeter P. Scipionem pontificem maximum, privatus interfecit civem perniciosum, quum consulibus Scto respubliea erat permissa? Dicendum fuisset *exempla maiorum* ut est v. c. apud Cic. de Leg. III. 18. § 41. pro Rab. perd. reo 5. § 17.

An leges, quae ——— *invidiae incendio conflagraturum.* — *an invidiam posteritatis times.* Dubius haesi, quo sensu acciperem haec vocabula ex § 22: »quanta tempestas invidiae nobis — *in posteritatem* impendeat," quae fortasse duplicem interpretationem admittunt; — *invidia* autem *posteritatis* est eorum, qui post nos erunt et recte Halmius apponit invidiam eorum, quibuscum Cicero vixit, magis esse metuendam, ut postea etiam luculenter patafactum est. Si tamen quod voluerit rhetor, quaeritur, non dubito quin *invidiam posteritatis* usurpaverit de tempore mox futuro, vivente Cicerone, quo sensu etiam ab eo usurpata viden-

nulla commendatione maiorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam aut alicuius periculi metum salutem civium tuorum negligis. 29. Sed si quis est invidiae metus, non [67]) est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda. An, quum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas in-

[67]) num.

---

tur ea verba quae supra laudavi. — *tam mature;* non mature pervenit Cicero ad eos honores, quos omnes suo anno adeptus est. — *summum imperium.* At sic non dicitur consulatus, de quo tamen hic sermonem esse, manifestum est. — *inertiae ac nequitiae.* Quae supra dixi de duobus vocc. saepius ab oratore coniunctis ubi alterum eleganter abundat, coniungi possunt cum observatione Morstadtii, p. 36 sq., qua demonstratur, quam saepe eaedem dictiones et verba eadem in hac brevi oratione recurrant. Describam unum alterumque exempulm. Sic v. c. *quae eum ita sint Catilina* (§ 10 et § 20); »*ne commovere te contra rempublicam possis*" § 6 et § 7. *turpitudo domestica* § 13 et § 14; *vacuefacio* quod raro legitur apud Latinos, invenitur § 14 et § 16, *supplicio mactare*, quod Latinum non est, § 27 et § 33. — Luculentum exemplum est in § 30: Nunc *intelligo*, si iste, quo intendit, in Malliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto *intelligo* hanc reipublicae pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse." Hisce exemplis quibus facile esset etiam plura addere, adnumeranda est coniunctio *inertiae ac nequitiae*, quae etiam occurrit § 4 f. Quare verba ea de causa reprehendenda sunt quod in Ciceronem non conveniant; solent enim dici de hominibus turpissimis. — *tecta ardebunt*, *invidiae incendio conflagraturum.* Belle declamator coniungit ardere et conflagrare in hac sententia, alterum proprie, alterum translate usurpans; qua si multos audias, nihil elegantius, ut mihi tamen videtur nihil magis languidum esse potest. — *invidiae incendio.* Male luditur significatione voc. *invidiae;* scripsit enim § 28: »an times invidiam posteritatis i. e. invidia, quae ex recte factis nascitur; et paullo post: »sed si quis est *invidiae* metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis *invidia* — *pertimescenda.* Nunc vero invidia est illud odium quod oritur ex male factis, cuius incendio quomodo quis conflagrabit, quum haec ita dici non possint?

vidiae incendio conflagraturum?" His ego sanctissimis reipublicae vocibus et eorum hominum, qui hoc idem sentiunt, mentibus pauca respondebo. Ego, si hoc optimum factu iudicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim si summi viri et clarissimi cives [68]) Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt, certe verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi [69]) in posteritatem redundaret. Quodsi ea mihi maxime impenderet, tamen hoc animo semper fui, ut invidiam virtute partam gloriam, non invidiam putarem. 30. Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, qui aut ea, quae imminent, non videant, aut ea, quae vident dissimulent,

[68]) si summi et clarissimi viri. [69]) mihi. omis.

His ego sanctissimis reipublicae vocibus —— *crudeliter et regie factum esse dicerent.* — *mentibus pauca respondebo.* Novi quid a rhetore invenitur: nam solemus solum iis respondere, qui locuti sunt, non aliorum mentibus. — *ad vivendum.* Haec vocc. abundant. — *non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt.* Iam id aliquanto nimium est, dicere: »se honestare alicuius sanguine;" qui vero in memoriam revocat ea, quae de Ti. Gracchо dicta sunt: »eum mediocriter labefactasse reipublicae statum," vel de Caio fratre; »propter quasdam seditionum suspiciones" is, ni fallor, libenter mihi dabit oratorem sibi non constare eumque fugisse, quae supra dixisset. — *ne quid* — *invidiae.* Dicendum fuisset *ne qua invidia.* »Ne quid — invidiae" recte sese haberet in partitione. — *mihi in posteritatem redundaret.* At aliquid non *redundat alicui*, sed *in aliquem.* — *parricida civium interfecto.* Parricida civium nemo est. Per convicium Cicero voc. *parricida* utitur pro Sest 52 § 111: »is de me suffragium tulit, is adfuit, is interfuit epulis et grationibus parricidarum — qui" cett. in servos Clodii. Sic recte patriae parricicida, et patriae parricidium saepius legitur, sed *civium parricida*, numquam. — *invidiam virtute partam.* Recte dicitur Latine *gloriam sibi parere;* at invidiam parere non item. Romani in ea re dicebant *conflare invidiam*, quod etiam a rhetore nostro positum est § 23. — *qui aut ea, quae imminent non videant, aut ea, quae vident, dissimulent.* Orator quid dixerit ipse non cepisse videtur.

qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt; quorum auctoritatem secuti multi, non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quo intendit, in Malliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipublicae pestem paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quod si se eiecerit secumque suos eduxerit et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregaverit [70]), exstinguetur atque delebitur non modo

[70]) aggregarit.

Obiicit autem senatoribus, quos alloquitur, in eo ordine fuisse, qui satis stupidi et hebetes essent, quod non intellexissent coniurationem fieri, vel satis improbi quod, quum vidissent reipublicae interituma Catilina parari, tamen nihil timendum esse dixissent. — *mollibus sententiis.* Neque hoc est obiiciendum senatui, »cuius consilium et auctoritas non deëst reipublicae" § 3. Insuper iam ante dies duodeviginti factum erat Senatus consultum illud, quod certe non mollibus sententiis erat perlatum. Sed quid plura? Quae h. l. leguntur intelligenda sunt de tempore antequam comitia consularia habita sunt et totus hic locus expressus est ex orat. pro Muraena 25. § 51. — *non solum improbi, verum etiam imperiti.* Male haec ita opponuntur; cuiusnam rei imperiti erant illi senatores? Num coniurationis?

Nunc intelligo, si iste ——— *stirps ac semen malorum omnium.* — *in Malliana castra.* Haec verba sunt supervacanea et insulse interposita: in codd. nonnullis *Malliana* omittitur. Nam intendere quid sit, docemur his verbis Ciceronis ex orat. p. Mur. 9. § 22. in lepidissima illa comparatione Icti et imperatoris: »ille, ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat." i. e. quo iter intendit, dirigit. Non opus erat iterum Senatoribus (licet stultis § 30. et imperitis secundum rhetorem nostrum) in mentem revocare Catilinam in castra Malliana iturum. — *hanc pestem reprimi.* Indicat coniurationem. Sed *pestis* tollitur non reprimitur, neque comprimitur. Reprimus enim id, cuius impetus est. — *naufragos.* Iubet Halmius conferre Cic. p. Sylla 14. § 41. *patrimonii naufragus.* Apponerem multa si opus videretur, ex

haec tam adulta reipublicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium. XIII. 31. Etenim iamdiu, patres conscripti, in his periculis coniurationis insidiisque ver-

---

quibus ut ex exemplo allato appareret, naufragus et naufragium si translate ponuntur, non nude poni sed adiuncto genitivo. — *haec tam adulta reipublicae pestis.* Adolescere significat proprie: crescere, augeri;" praesertim de animantibus et plantis. Est etiam: potentiorem fieri. Quomodo tamen pestis *tam adulta* dici potest, ex Ciceronis usu nemo facile indicabit. Coniuratio dicitur adulta apud Tacitum, qui saepius translate usurpat hoc vocabulum; »ceterum coeptam adultamque et revictam coniurationem neque tunc dubitavere" cett. Apud eundem vitia adulta, seditionem adultam legi; *pestem adultam* vero nunquam. — *stirps ac semen malorum omnium.* Stirpem tolli posse et extingui non est quod dubitemus; *exstingui vero et deleri semen omnium malorum* a nullo unquam fiet.

Non est praetermittendum discrimen quod intercedit inter perorationem huius orationis et orationum a Cicerone habitarum. Ciceronem enim multum valuisse perorationibus luculenter demonstrant, quae supersunt illius orationes. Eum plus valuisse quam aequales in hoc dicendi genere apparet tum quod ii, qui cum Cicerone reum defenderent, solerent ei perorandi locum relinquere, ut Brutus in suavissimo et utilissimo dialogo, suo nomine inscripto, dicit: »Qui (Hortensius) quum partiretur tecum causas (saepe enim interfui) perorandi locum, *ubi plurimum pollet oratio,* semper tibi relinquebat. Cic. Brut. 51. § 190; tum quod Laterensis hoc dixerit in Ciceronem, eum idcirco lege sua exsilio ambitu sanxisse, ut miserabiliores epilogos dicere posset. Quodsi Cicero revera hanc orationem habuisset, post calamistros et tinnitus quibus haec declamatiuncula referta est, aliam perorationem is dixisset, qui post omnia perorationem inflammantem, restringuentem concludere praeceperit Orat. 34. § 122. Totum enim caput ultimum languet; ad Catilinam, quamvis in eum oratio habeatur nihil dixit orator nisi haec: Hisce ominibus Catilina, — proficiscere ad imprium bellum ac nefarium. Praemittuntur pauca ad senatores, ad quos in tribus capitibus superioribus continuo verba fecit, excepta patriae querimonia de Cicerone, ita ut diceres non Catilinae sed Senatorum causa haec esse scripta.

Etenim iam diu P. C. ——— *reliquis vivis ingravescet.* — *maturitas in nostri consulatus tempus erupit.* Locus expressus est ex Orat. p. Sylla

samur, sed, nescio quo pacto, omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quod si ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem residebit et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi, quum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberunt [71]), primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur, sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius poena, vehementius vivis reliquis, ingranescet. 32. Quare secedant improbi, secernant

[71]) biberint.

---

24. § 67: »si furorem incredibilem biennio ante conceptum erupisse in meo consulatu scripsi," cett. et ex Orat. p. Mur. 38. § 81. »Omnia, quae per hoc triennium agitata sunt, iam ab eo tempore, quo a L. Catilina et Cn. Pisone initum consilium senatus interficiendi scitis esse, in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt." — Sed ut saepius iam vidimus, sic etiam h. l. male declamatori imitatio cessit. Recte enim *furor*, *coniuratio* erumpere potest in aliquod tempus, sed *maturitas coniurationis* non erumpit. — *latrocinio.* At nondum latrocinium dici potest coniuratio, quam Catilina in urbe inierat. — *cura et metu relevati.* Voc. relevatus, in hac § praeterea bis occurrit; *relevatus istius poena*, et: *relevari videntur.* Cicero solet uti simplici *levatus.* — *periculum autem residebit et erit inclusum in venis atque visceribus reipublicae.* Qui recte cogitat haec non dicet. — Periculum enim non est in ipsis rebus, multo minus in hominibus ipsis, sed in opinione hominum. Malum, inimicitiae dici possunt residere. — Quodsi periculum inclusum erat facile erat curam habere ne exiret vel erumperet. — *febri iactari* plane novum est. — *reliquis vivis.* Non recte comparatio procedit; nam non *reliquis vivis* dicendum fuisset, sed *reliquis superstitibus.* — *vehementius ingravescet.* Haec verba opponuntur praecedentibus: *multo gravius vehementiusque afflictantur*, quae recte procedunt: verbo *ingravescendi* tamen iam inest significatio augendi, ita ut; *ingravescit morbus*, significet, morbum fieri vehementiorem. Quomodo hic igitur huic verbo adiungi possit *vehementius* non video. Denuo, ut opinor, oppositionis studio lapsus est orator.

Quare secedant improbi ——— *vindicata esse videatis.* — *secernantur a nobis.* Ita Madvig ceterique editores. Halmius nonnullis codicibus

se a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, id quod saepe iam dixi, secernantur [72]) a nobis: desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad

[72]) discernantur.

obsecutus edidit: *discernantur a nobis*, quod non verisimile esset hic ab oratore *secernantur* esse scriptum quum praecedat: *secernant se.* Novum emendandi genus. Ex significatione verbi *discernendi* apparere potuit, Ciceronem (nam hunc saltem ante oculos habuit Halmius,) hoc sensu non uti eo verbo. Discernere est, unam rem ab alia internoscere, vel ut Kritzius adnotat ad Sall. B. C. 25. § 3: »discernere vero est, rem aliquam in duas partes seiungere, discrimineque quod inter utrumque intercedit explorato, iudicio in alterutram inclinare" et hoc certe murus non facit. Nihil lucramur igitur Halmii emendatiuncula; praesertim cum ex exemplis supra allatis apparet ab ingenio nostri declamatoris non abhorrere eodem verbo saepius uti in eadem sententia. Sicut igitur vulgata scriptura legitur, absurda est haec gradatio, quae, etiamsi *discernantur* scribatur, tamen manet: *secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muro discernantur a nobis.* Porro *secernant se a bonis*, non recte se habet. Secernimus enim, quae antea commixta et confusa erant, quod semper mente, consilio nostro fit. Sic v. c. Cicero scripsit de N. D. II. 47. § 122. »dedit autem eadem natura belluis et sensum et adpetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero *secernerent pestifera a salutaribus.* Eadem significatione coniunguntur a Cicerone Amic. 25. § 95: »*Secerni* autem blandus amicus a vero et *internosci* potest adhibita diligentia." — *muro denique, quod saepe iam dixi.* Si vera sunt, quae dixi de significatione voc. *secernendi* et *discernendi* absurdum est dicere muro id fieri debere quod mente vel consilio faciendum est; porro recte interponitur illud: »quod saepe iam dixi" nam fere idem legitur quoque § 10: »dummodo inter me atque te murus intersit," et § 19: »me nullo modo posse iisdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem moenibus contineremur." — *desinant insidiari domi suae consuli.* Si Cicero haec scripsisset sine dubio dedisset: *desinant consuli domi suae insidiari;* nunc enim non perspicuum est cuius domus indicetur. — *tribunal praetoris urbani.* Cur *praetoris urbani* per excellentiam? — *obsidere cum gladiis curiam.* Hoc dici non potest pro: »obsidere cum hominibus armatis" Dicendum fuisset quod posuit Sall. B. C. 49. licet consilio contrario fieret: »qui praesidii causa *cum telis erant circum aedem Concordiae.*"

inflammandam urbem comparare; sit denique inscriptum in fronte uniuscuiusque quid de republica sentiat. Polliceor vobis hoc [73]), patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

[73]) hoc vobis.

— *sit denique inscriptum in fronte cuiusque* cett. *Denique* significat, quod nos dicimus: uno verbo. Sed ridiculum est nunc ultimo loco ponere: »ut inscriptum sit uniuscuiusque fronti, quid de republica sentiat;" neque adeo necessarium erat si improbi secessissent, et se a bonis secrevisset; multo minus opus hoc erat si vera sunt quae paullo post leguntur: »Catilinae profectione omnia patefacta, illustrata — fore." — *polliceor* — *fore tantam in vobis auctoritatem.* Sed hoc ab ipso senatü pendebat, ut sustineret auctoritatem suam; ordinis illius auctoritas non deerat reipublicae ut est § 1. Consul illud polliceri non poterat. — *in omnibus bonis consensionem*, Latinum non est, sed ita scripsisse videtur rhetor ut praepositio *in* adhiberetur etiam in hac sententiae parte ut est in omnibus reliquis. Dicendum fuisset *consensionem inter omnos bonos.* Male Halmius explicat illud omnibus bonis per: »den Bürgern des dritten Standes," ac si *omnibus bonis,* Senatores et Equites non essent adnumerandi. — *ut Catilinae profectione.* Profectio multo honestiore sensu solet accipi, quam qui in Catilinam cadat. Sed id quod dicitur h. l. a rhetore, luculento argumento esse potest quam turpe adhuc viris doctis impositum sit, qui hanc orationem genuinam esse existimaverint. Scil. hac in re omnes consentiant necesse est, orationem a Cicerone esse editam aliquanto post coniurationem: ut alia argumenta mittam, vel ob hoc disertum Sallustii testimonium B. C. 31: »Tum M. Tullius — orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae, *quam postea scriptam edidit.*" Imprudenter mentitur personatus Cicero qui haec Patribus conscriptis polliceatur: »ut profectione Catilinae omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse viderent." Nam constat coniurationem tum demum patefactam esse, quum, Allobrogibus in ponte Mulvio cum coniuratis captis, litterae ad Ciceronem pervenerunt, quibus omnia patefacta et illustrata esse dici possunt Sall. B. C. 48. Ab Allobrogibus indicibus nominati sunt ii, qui coniuraverunt; eorum indicium descriptum ab omnibus librariis passim divisum est atque editum populo Romano. Cic. p. Sylla

33. Hisce ominibus, Catilina, cum summa reipublicae salute et [74]) cum tua peste ac pernicie cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum [75]) tu Iuppiter, qui iisdem, quibus hasc urbs, auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, hunc et huius socios a tuis aris [76]) ceterisque tem-

[74]) et omis. [75]) tum omis. [76]) aris omis.

---

15. § 42. Quis vero serio adhuc contendet Ciceronem non erubuisse et ausum esse haec scribere sive paullo sive aliquamdiu post coniurationem: »Catilinae profectione omnia illustrata et patefacta."? — *patefacta, illustrata. Oppressa, vindicata.* Bina ultima supervacanea sunt.

Hisce ominibus Catilina ——— *aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.* — *hisce ominibus.* Quibusnam? Ea, quae praecedunt omina dici non possunt. — *cum summa reipublica salute.* Summam salutem nullam esse posse, nisi inferiorem salutem etiam admittas dixi ad § 11. — *cum reipublicae salute proficiscere* cett. Si quid significare posset, admodum difficile factu esset. *Cum* enim solet indicare comitatum vel modum quo aliquid fiat. Igitur dici potest: facere aliquid cum incommodo suo, ita ut cum facto incommodum nostrum coniungatur, sed proficisci cum reipublicae salute, cum sua peste, cumque coniuratorum exitio ne in Catilina quidem fieri poterat. — *tum tu Iuppiter.* Halmius *tum* quod in nonnullis codd. non legitur, abiecit; sed quod ortum est monstrum videtur. Nam secunda persona futuri indicativi usurpatur quidem Latine ut aliquid rogemus, quod nobis concessum iri non dubitamus, immo certo confidimus; sed non usurpatur nisi saltem sermone communi et vulgari, quo quidem ad Iovem uti dedecet. Madvig. Gram. Lat. § 409. Adn. *Tum* in comprecationibus saepius adhiberi docet Muretus p. 574. — *qui iisdem, quibus haec urbs auspiciis a Romulo es constitutus.* At Iupiter constitutus esse dici non potest; nam erat diu ante Romulum. Halmius haec ita interpretatur, verba esse ab oratore facta ad Iovis signum, quod in eo templo erat collocatum. At templum illud fieri demum iussit Senatus a. u. c. 460. Liv. X. 37. — *Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus.* In templo Iovis Statoris haec dici absurdum est: cognomen enim Statoris ei datum et templum eo nomine votum a Romulo esse dicebatur et credebatur, quod fugam Romanorum in praelio cum Sabinis *stitisset.* Igitur non vere *Statorem urbis atque imperii* eum dicere poterat constitutum iisdem auspiciis, quibus ipsa Roma. — *a tuis aris ceterisque templis.*

plis, a tectis urbis ac moenibus, a vita fortunisque civium omnium [77]) arcebis, et homines bonorum inimicos, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos, aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

77) omnium omis.

Igitur *arae* templa sunt nostro; quod adhuc ab omnibus edebatur a Halmio, mutatum est ut *aris* omitteret ita quod in Codicibus fere omnibus legitur. Supersedit tamen demonstrare an recte ita coniungatur adiectivum possessivum cum abl. *ceteris* pro *ceterorum Deorum*, quod an defendi possit vehementer dubito. — *scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos.* Idem fere iam dixit in hac ipsa §. Videntur rhetori obversata esse verba ex Ciceronis Orat. p. Sylla 5. § 16. — *aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.* De verbo mactandi vide § 29. mortuos vero suppliciis mactare, absurdum est: inter absurda hoc non ultimum locum obtinet de suppliciis mortuorum sermonem ad Iovem esse; nimirum de poena apud inferos hic sermo esse non potest: nam de ea re Iovi nihil commissum erat.

INVECTIVA CICERONIS

IN

CATILINAM.

INVECTIVA CICERONIS CONTRA CATILINAM PRAESERTEM IN SENATU.

Non est amplius tempus otii P. C. Non est amplius locus praestantum in Italia; pestis Italiae in civitate civitatis incendium alit et crescit in dies ac vires maximas suscipit. Et nisi propere sit exstinctum, non modo urbem sed orbem totum pessumdabit. Catilina P. C. hic est, qui deo et hominibus infestus, ire perditum patriam et cives nititur, qui ut sui libidinem animi expleat iustitiae et pietatis immemor factus est, qui ad honorem iure sibi per vos negatum, viam parare cupit morte bonorum, urbis incendio, Reip. detrimento. Nam postquam omnes suos et famam perniciose vivendo perdidit, qualiter vos et remp. perdere possit aggressus est. Homines

enim nefarios, periuros, sacrilegos, omnes denique consimiles, quos in urbe vel Italia noverat, servos etiam familiares filios cupidos novarum rerum domum suam frequentare rogavit. Exsulibus patriam, servis libertatem, pauperibus opes, privatis honores, singulis gloriam, omnibus omnia dare pollicitus est. Postremo dando et pollicendo sic eos et inter se effecerat, ut filiifamilias parentum iugulos, servi dominorum necem et domorum incendia minarentur. Sed quum erat sibi detrimento reifamiliaris inopia, proh nefas, necavit filium ut novae coniugis potiretur opibus, quae sibi eo vivente coniungi timuerat. Haec P. C. quamquam rumoribus vulgi agitentur, per me tamen in vestram praesentiam non venissent, nisi ab iisdem consciis sceleris atque cognita potuissent, quos in publicum venire et haec eadem vobis praesentibus confiteri, pudor magis quam timor arguit. Nam vestri consulis providentissimo vestro decreto sceleris impunitas concessa est omnibus, qui consilia patefecerunt. Vigilat noctes et dies, cibum non nisi fame coactus appetit, iugulis nostris intentus. De quibus oculorum ipsius foeditas et maculata facies dubitare non patitur. Accinctus gladio domos familiares nocte circuit, alloquitur singulos, hortatur multis rationibus postulat, ut se ministro potius vel duce potius ad libertatem, honores, divitias eos transire non pigeat. — Ostendit ad haec gerenda tempus idoneum, suos fortes magnanimos, nos ignavos, somno et ventri deditos. Et nobis cum divitiis animum et aetatem consenescere quasi patriam et remp. armis invadere esset fortasse timori nullius timidus. Hic laudat Marium Sullamque cruentos fenices felices indicat, quibuscum magnanimis sua consilia communicare sors

attulit. Sed profecto, Patres Conscripti, si nos indicat ignavos et negligentes Catilina non fallitur, cum sit experientia. Si enim nostram non venisset incuriam; si reip. intenti essemus et patriae, de patria proditor iam expulsus esset. Hoc enim ut mihi videtur ratio postulat. Nam si Catilina patriam diligit cur ei incendia parat? Si non diligit cur in ea ulterius moratur, cur laborat, machinatur in dies sicut iam dictum est; ut iubeat Roma suomet pereat gladio quod longe positus nequaquam possit efficere? Nulla enim pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus. Adeo in curia sit frequens in curia nostri consilii particeps ut notet et designet unumquemque nostrum ad necem et reip. cognoscat intentus? scit quorum sanguis sibi daret imperium et ruina quorum sibi daret ascensum; his maxime parat insidias. Hos in die, hos in nocte persequitur. Videte P. C. videte huius hominis summam audaciam. In nostrum conspectum venire non timet de quorum interitu semper cogitat; vobiscum loqui non timet. Igitur ab omnibus timendus est. Nolite mirari si calidus dissimulator respondendi locum postulat. Confidit enim in eloquentia sua, quae maximam partem civium detraxit in cladem. Quis igitur sceleratorum hominum tot copias comparavit, qui mendacia veritate et mendacio veritates colorat. Audietis eum P. C. Audietis eum. Tacetis, proh pudor. In qua urbe nos vivimus? Quibus tutoribus resp. defenditur? o Camilli, o Fabii! Vos utinam essetis. Audire vellent illum, qui exspirantis filii voces audire noluit. Qui filios in parentes, servos in dominos, in remp. Italiae latronem armavit. Quid agis Catilina? Quid cogitas Catilina? Cur furorem tuum et audaciam tem-

peras? Cur ille tuus exercitus, qui intra moenia clausus est in Capitolium non erumpit? Nullus huius ordinis ignorat consilia tua et adhuc in patria remanes immo in senatu placitandi locus est relictus. Scire potes quod non multum iis tua facta displicent. Cogitate P. C. quid res, quid tempus postulat. Audacia Catilinae timorem omnibus reip. incutit, patriae legibus minatur interitum. Viri, mulieres, senes, iuvenes, postremo omnis aetas terrore concussa est; omnes credunt hodie vestra sententia liberari. Omnibus igitur satisfacietis P. C. si de civitate Catilinam, immo terrorem omnium expuleritis.

(*Explicit invectiva Tullii in Catilinam*).

INVECTIVA CATILINAE

IN

CICERONEM.

RESPONSIVA CATILINAE IN TULLIUM.

Si subtiliter a circumstantibus quae sit praesentis actoris controversia requiratur, invenietur apprope intuentibus ille inter nos qui vulpis fuit, cum agno coram leone conflictus. Cum illo namque mihi res agitur, qui magis in dolosis, fraudulentis, versutisque rebus quam in communi aequitate confidit. Cum illo mihi res agitur, qui omnes rationes spesque suas in eloquentiae suae torrente coniecit. Cum illo, qui aliud corde dissimulare, aliud ore simulare consuerit. Cum illo, qui corde subdolo, ore trilingui, vultu hispido, barba coenosa, incessu gravi, familiari mendacio proposuit, instituit et

iuravit. Qui candida denigrat et nigra loquendo dealbat. Qui aliorum famam depetulans, urbes quoque mendacio pessumdare consuevit. — Quapropter mihi timendum et vobis summopere cavendum est ne hodie plus valeat pollita et erudita calliditas, quam nuda et vulgaris simplicitas. Ne sibi plus prosit eloquentiae cavillantis astutia, quam mihi obsit infantis linguae ineptia. Si quo agitur in loco pro dicendi inopia, mea vacillabit oratio, non illius phalerata verborum agmina et canora festivitas ac concinnitatis splendencia, sed pondus suum ac ipsum sagaci indagatione perscrutari et aequali lance trutinare debetis. Quid si vos quoque sententiam adversarii mendaciis coloratam, linceis ut soletis oculis inspexeritis? invenietis sub columbina specie teterrimam caudam latitare scorpionis et eo pacto eam inhonestam et inutilem fatebimini.

Illum namque de civitate censet extorrem fieri, cuius maiores eam fundavere, construxere, et ab hostibus protexere ac postremo ad tantum culmen honoris promovere ut imperii magnitudinem solis ortu et occasu metiretur. Illum de civitate praecipitem iubet dari, qui nisi livoris et attractationis causa obstaret, in ea primus aut inter primos haberi deberet. Exeat igitur de civitate Catilina et remaneat illic Ciceronis iactantia. Exeat de civitate civis et remaneat inquilinus. Exeat de Roma Romanus et remaneat Arpinas. Exeat hinc Scipionis generosa propago et regnet illic natus de paupere pago. Absit Scipionis indoles luculenta. Quid si Scipio nunc ille viveret? nonne tali uteretur alloquio? Ego vici, vos in patriam reduxi, vos tamen cives eiicitis. Ego Romam periculo capitis mei protexi, vos nomen meum delere cona-

mini? Ego feci quod non erat ut esset, vos me ibi morari non sinitis? Iam iam nunc arbitror P. C., qualiter sit inhonesta, cognoscitis. Nunc qualiter sit inutilis attendite. Nam si sententiam probaveritis maximas calamitates publicas et privatas suscipietis, reip. hostes acerrimos et asperrimos comprobabitis, vobis ipsis mortale odium et invidiam summam conflabitis, urbem non solo ut putatis Catilina, sed quam plurimis civibus vacuabitis et quod est extremae dementiae, placidissimos amicos infestissimos reddetis inimicos.

Sed per deos immortales, quorsum adversarii tota deprecatio pertinuit? Coniurationem namque indignum facinus ostendere laboravit, cum an coniuratio facta sit ambigatur et de ea quasi non sumtum supplicium, de qua nondum constitutum est iudicium, clamat et dolet. O indignum scelus! Catilina iam non dignas poenas pro coniuratione dedit, quasi de coniuratione constaret. Cum non iam magis id probando quam dicendo, suae sententiae basim constituit et id solum certum denunciat, quod nec testibus nec est argumentis probatum sed falsa quadam suspicione confictum, quae a quovis quoquo modo confingi potest. Nam quia Catilina P. C. tam popularibus quam summatibus est acceptus, quia ignoti, noti, cives peregrini, nobiles, ignobiles domum eius frequentant, quia eo munificentior affabiliorque, vivit nullus, quia et habet quod det, et dat nemo largius idcirco coniurationem ab eo factam contendit. Quodsi ab hominibus amari, frequentari, consuli, visitari coniurationem vocamus, iam Catilina item Laelius et Scipio praeterea liberales et dapsiles coniurationem accrescunt. Quod vero de filii nece a pio patre perpetratum esse dixit sic est incredibile, ut sine ratione patrocinium deleatur prae-

sertim cum neminem vestrum super hoc dubitationis scrupulo commoveri confidam. Illud mihi potius adiuvandum puto, neminem mirandum si solus omnium Catilina praelocutor apparet. Hoc enim minus Ciceronis prece pretio confectum est, ut nemo se Catilinae tutorem audeat confiteri.

(*Explicit invectiva Catilinae responsiva contra Tullium in Senatu.*)

THESES.

I.

Manifesto corruptus est locus Lysiae XXV. § 11. *ὅσοι μὲν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἄτιμοι ἦσαν εὐθύνας δεδωκότες*: qui corrigunt *ὠφληκότες* sententiam loci restituunt non Lysiae manum, quae est *ἑαλωκότες*.

II.

Nihil significat quod legitur apud Lysiam XXVI. § 6. *ὁ χρόνος οὐκ ἐγχωρεῖ ἄλλον ἀποκληρῶσαι*, rescribe *οὐ συγχωρεῖ*.

III.

Ibid. § 11. *ταύτην δὲ τὴν ἀρχὴν ἀξιοῖ μόνος αὐτὸς καθ' αὑτὸν ἄρχειν*, ludimagistro debetur *μόνος*.

IV.

Ibid. § 15. *ἐὰν δὲ μηδὲ τόνδε οὐδ' ἐκεῖνον*, verum est *ἐὰν δὲ μὴ τόνδε κτέ.*

V.

Ibid. § 21. *ἐν Σικελίᾳ ἄρχων ἐτελεύτησεν*, supple *ἐν Σικελίᾳ τριηραρχῶν*.

VI.

Apud Antiphontem Orat. I. § 5. *εἰ νομίζει τοῦτο εὐσέβειαν εἶναι, τὸ τὴν μητέρα μὴ προδοῦναι*, emenda *τοῦτ' εὐσεβεῖν εἶναι.*

VII.

Antiphon Tetral. A. β. § 4. οὐδὲν γὰρ πικρότερον τῆς ἀνάγκης ἔοικεν εἶναι, imo vero ἰσχυρότερον.

VIII.

Ibid. Tetral. Γ. β. § 2. ταῖς χερσὶν ἅπερ ἔπασχον ἀντιδρῶν πότερα ἠδίκουν; supple πότερα ἠδίκουν ἢ οὔ;

IX.

Antiphon Orat. V. § 85. εἰ δὲ δύο ἐξ ἑνὸς ἀγῶνος γεγένησθον corrige εἰ δὲ δύ' ἐξ ἑνὸς ἀγῶνε γεγένησθον.

X.

Andocides Orat. I. § 9. ψηφίζεσθαι κατὰ τοὺς νόμους, ὅπερ καὶ συνέχει μόνον τὴν πόλιν, imo vero τὴν πολιτείαν.

XI.

Ibid. § 73. ὁπόσοι εὐθύνας ὤφειλον ἄρξαντες ἀρχάς, repone ὦφλον.

XII.

Ibid. § 124. ἱερεὺς ὢν [τῆς μητρὸς καὶ τῆς θυγατρός], dele quinque verba absurde addita.

XIII.

Andocides II. § 19. ἄνδρες ὑμῶν πεντακόσιοι ἐν ἀπορρήτῳ ἴσασιν, ἡ βουλή expunge ἡ βουλή.

XIV.

Sine sensu editur in Andocidis Orat. IV. § 5. διὰ τοῦτο μεθίσαται ὅτι πολίτης ἐστίν, supple ὅτι πολίτης ἐστὶ κακός.

XV.

Apud Isaeum Orat. V. § 22. δεδίαμεν γὰρ μὴ ὄφλωμεν δίκας: barbarum est δεδίαμεν, Graecum δέδιμεν.

XVI.

Apud Dinarchum Orat. I. § 39. ἠλευθεροῦντο Θῆβαι restitue ἠλευθέρωντο.

XVII.

Lycurg. κατὰ Λεωκράτους § 21. ᾤκει ἐν Μεγάροις πλείω ἢ πέντ' ἔτη προςάτην ἔχων, emenda προςάτην νέμων.

XVIII.

Aeschines in Timarchea § 85. ταύτην ἐγὼ ὑπολαμβάνω τὴν μαρτυρίαν μεμαρτυρῆσθαι ὑμῖν ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων ἣν ἁλῶναι ψευδομαρτυριῶν οὐ καλῶς ἔχει, emenda ὃν ἁλῶναι.

XIX.

Ibid. § 111. καταγνοῦσα τουτονὶ ἀδικεῖν scribendum τουτωνὶ et post pauca ἐξεφυλλοφόρησε μὲν αὐτῷ pro αὐτόν.

XX.

Aeschines de F. L. § 49. ὁρῶν ἐπισημαινόμενον τὸν δῆμον καὶ δεδεγμένον τοὺς παρ' ἐμοῦ λόγους, lege ἀποδεδεγμένον.

XXI.

Aeschines in Ctesiph. § 101. τὸν αὐτὸν Ἀθηναίοις φίλον καὶ ἐχθρὸν νομίζειν εἶναι, expunge εἶναι.

XXII.

Demosthenes Olynth. I. § 11. συνανάλωσε καὶ τὸ μεμνῆσθαι τὴν χάριν, expunge τὴν χάριν.

XXIII.

Id. Olynth. II. § 9. μικρὸν πταῖσμα ἅπαντ' ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσεν, ludimagister adscripsit καὶ διέλυσεν.

XXIV.

Id. Olynth. III. § 22. τί βούλεσθε; τί γράψω; emenda τί βούλεσθε λράψω;

XXV.

Idem Philipp. I. § 12. pro ἐπιμελούμεθα requiritur ἐπιμελεῖται.

XXVI.

In Ciceronis l. I. de Orat. 13. § 57: „Cogebat enim me M. Marcellus hic noster, qui *nunc aedilis curulis est, et* profecto nisi ludos nunc faceret huic nostro sermoni interesset." Verba: „*nunc aedilis curulis est et*," insiticia sunt.

XXVII.

Apud Cic. p. Quinct. 29. § 89: „Postea recitavi edictum, quod aperte dominum de praedio detrudi vetaret: *in quo constitit* Naevium ex edicto non possedisse" cett. Leg. „*quo constitui*."

XXVIII.

Apud Cic. p. Sex. Roscio Amer. 5. § 12: „Ut non modo clam, verum etiam hic *in foro*, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes vestros, iudices, inter ipsa subsellia caedes futurae sint." Dele glossema: *in foro*.

XXIX.

Apud Cic. in Verr. II. I. 12. § 33: „Omne illud tempus quod fuit, antequam ad [magistratus] rem [que] publicam accessit, habeat per me liberum ac solutum, delenda sunt, quae uncinis inclusi.

XXX.

Apud Cic. in Verr. IV. IV. 43. § 93: „*Praecipitur et* negotium datur quaestoribus et aedilibus, ut noctu vigilias agerent ad aedes sacras." Dele: *praecipitur et*.

XXXI.

Apud Cic. de leg. agr. in Rull. II. 21. § 56: „Decemviri vestra vectigalia non modo *ne* vobis *quidem* arbitris, sed ne praecone quidem publico teste vendent." Prius *ne* — *quidem* interpolatoris est.

XXXII.

Quantocius reiicienda est Niebuhrii coniectura in Cic. Orat. p. Mur. 11. § 25. legentis: „Et ab ipsis *capsis iurisconsultorum* sapientiam compilarit," pro eo, quod recte se habet: „et ab ipsis *cautis iurisconsultis eorum* sapientiam compilarit."

XXXIII.

Apud Cic. p. Mur. 22. § 46: „Itaque sic statuo, fieri nullo modo posse, ut idem accusationem et petitionem *consulatus* diligenter adornet atque instruat." Sciolo debetur *consulatus*, itaque expungendum.

XXXIV.

Apud Cic. p. Sylla 17. § 49. turpe glossema tollendum est: „Cum honos agebatur amplissimus familiae vestrae, hoc est, consulatus parentis tui, sapientissimus vir familiarissimis suis non succensuit *pater tuus*. Ultima enim vocc. interpolata sunt.

XXXV.

Apud Cic. p. Caelio 2. § 3: „De dignitate M. Caelius *nobis ac maioribus natu* etiam sine mea oratione, tacitus, facile ipse respondebit." Lege: „*nobis maioribus natu*."

XXXVI.

Apud Cic. p. Plancio 18. § 45: „Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta severitatem senatus et bonorum omnium *vim ac dolorem excitarunt*." Lege: *iram ac dolorem excitarunt*.

XXXVII.

Apud Cic. p. Mil. 2. § 3: „Unum genus est adversum infestumque nobis eorum, quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit." — Interpunctione mutata, scribendum est: „Unum genus est adversum infestumque nobis; eorum, quos — pavit."

XXXVIII.

Apud Cic. ad Att. IV. 5. § 1: „Urgebar ab eo, ad quem misi, et non habebam exemplar. *Quid? etiam* — subturpicula mihi videbatur esse *παλινῳδία*. Lege: *quin etiam*.

XXXIX.

Apud Cic. de Off. I. 11. § 36: „Sed quum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obliget sacramento, quia *priore amisso* iure, eum hostibus pugnare non poterat;" leni medicina corrigendum est: „quia *priore remisso*, iure cum hostibus pugnare non poterat."

XL.

Eiicienda sunt vocc.: „eum, qui Tarentum cepit" apud Ciceronem in Cat. Mai. 4. § 10.

XLI.

Ineptum glossema legitur adhuc apud Nep. Att. c. 3: „Quod nonnulli ita interpretantur amitti civitatem Romanam alia adscita."

XLII.

In initio Sall. Belli Cat.: „omnes homines, qui sese praestare student ceteris animalibus *summa ope* niti decet cett., corrigendum est: *summope* (*summopere*). Eodem modo corrigendus est Ciceronis locus ex Ep. ad Att. XIV. 14. § 6: „Et omni *ope* (*opere*) et opera enitar, adiuvante me scilicet auctoritate et gratia et summa aequitate causae, ut de Buthrotiis Sctum, quale scribas, fiat.

XLIII.

Lacuna est in verbis Livii VIII. 22: „Tribunatum plebei proximis comitiis *absens petentibus praefertur*," sic supplenda: *absens pet*[*ens praes*]*entibus praefertur*.

XLIV.

Facili negotio verba Livii XXIV. 9: „Praesenti Fabio, atque *ipso* comitia *habente*" sic corrigenda sunt: „Praesenti Fabio atque *ipsi* comitia *habenti*."

XLV.

Apud Liv. XXV. 12, in initio prioris carminis, quo praedicta Cannensis clades erat: „Amnem Troiugena Cannam *Romane* fuge," voc. *Romane* insiticium est.

XLVI.

Vitiose editur apud Livium XXXIV. 1. „Tulerat *eam* C. Oppius tribunus pl. in medio ardore Punici belli, *ne qua mulier* cett. Legendum est: Tulit *enim* C. Oppius cett.

XLVII.

Apud Virgilium Aen. II. 281 sqq.

„O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus! quae causa indigna serenos
Foedavit vultus? aut cur haec vulnera cerno?

vocabula:

„ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus!"

eiicienda sunt.

XLVIII.

Apud Suet. Oct. 29: „Aedem Marti bello *Philippensi* pro ultione paterna suscepto voverat." Ex post facto additum est: *Philippensi*.

XLIX.

Apud Val. Max. I. iv. § 2. perperam editum est: „quibus *omnibus* contemptis, a Scipione Nasica, pontifice maximo decussus Capitolio — procubuit. Scribendum est: *ominibus*.

L.

Apud Flor. I. 13. § 3: „Ea certe fuit vis calamitatis, ut in experimentum *illatam putem divinitus*, scire volentibus immortalibus diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur." Lege: *illatam remp. putem divinitus.*

LI.

Apud eundem III. 1. § 7: „Sed *rex peritus* fortius adversus Romanos aurum esse, quam ferrum, pacem emit. Lege: *sed rex expertus.*

LII.

Ridiculum est quod legitur apud Sex. Aur. Vict. de V. I. c. 57: „Censor libertinos — in quatuor urbanas divisit, ob quod *a populo* collega eius Claudius reus factus" cett. Legendum est *ad populum.*

LIII.

In l. 16. § 2. ff. de alim. vel cib. leg. (XXXIV. 1.): „Basilicae libertae decem dedit, quam apud Epictetum et Callistum, esse voluit, ut, quum fuerit Basilice annorum viginti quinque, cum usuris quincuncibus restituerentur, ita ut ex usuris aleretur, prout aetatem *ampliaverit.*" Leg. *compleverit.*

LIV.

In l. 6. ff. de ritu nupt. (XXIII. 2.): „denique Cinna scribit, eum, qui *absentem* accepit uxorem, deinde — periisset, ab uxore lugendum, responsum est." Leg. *absens.*

LV.

Reiicienda est eorum opinio, qui contendant genitivos *illius*, *istius*, *ipsius*, penultimam natura productam habere.

LVI.

Qui a patre patrato dedendus, ab hostibus receptus non erat, iure postliminii revertebatur in patriam.

LVII.

Falsum est praemium hoc ex legibus de ambitu dari accusatoribus, ut magistratum gererent eorum, quos designatos condemnarant.